

**Dissertatio inauguralis medica, de athletic veterum, eorum diaeta et habitu
... / [Johann Heinrich Schulze].**

Contributors

Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744.

Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.

Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, [1717]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hsb2mbk6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,
DE

ATHLETIS VETERVM,
EORVM DI-
AETA ET HABITU,

QVAM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

BORVSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-
DENBVRGICO, RELIQA,

PRAESIDE,

FRIDERICO HOFFMANNNO,

COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU,

publice defendet,

AVCTOR RESPONDENS,

IOANNES HENRICVS SCHVLZE,


COLBICENSIS - MAGDEBVRG.

H. L. Q. C.

A. d. XII. Martii Anni cId. Idcc. XVII.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.





CONSPECTVS TOTIVS DISSERTATIONIS.

Exercitationum corporis v-
sus cum hominibus cæpit. §. I. Aegyptii rem
hanc in artis formam primi redegerunt, a
quibus accepere Græci. §. II. III. Certami-
na Græcorum sacra. §. IV. Quibus ibi cer-
tatum sit. 1.) Cursu. §. V. 2.) Saltu. §. VI. 3.) Disci ia-
ctu. 4.) Iaculis. §. VII. Hæc dicebantur leuia; obiter de
pila. §. VIII. 5.) Lucta. §. IX. 6.) Pugilatu. §. X. 7.)
Pancratio. §. XI. Quid sit pentathlum, progymnasma. §. XII.
Rei athleticæ facies apud Romanos diuersa. §. XIII. Qualis
sub imperatoribus. §. XIV. Pugilatus & gladiaturæ fædi-
tas. §. XV. De Circensibus & eorum factionibus. §. XVI.
Vtrum Germani simile quid habuerint? §. XVII. Quid ad
medicos hæc faciant. §. XVIII. XIX. Quinam ex multis, qui
exercebantur, nobis athletæ vocentur. §. XX. Iouberti sen-
tentia examinatur. §. XXI. XXII. XXIII. XXIV. Vtrum
agitatores circenses huc pertineant. Transitus ad dietam ath-
letarum. §. XXV. Quomodo dietam hic accipiamus. §. XXVI.
Huius loci est illa, quæ replere studet. §. XXVII. antiquis-
simorum athletarum victus. §. XXVIII. Ficus. §. XXIX.
XXX. XXXI. Caseus. §. XXXII. XXXIII. Triticum. §. XXXIV.
An recte dulcibus tribuatur vis nutriendi. §. XXXV. Quid
sit Xerophagia. §. XXXVI. XXXVII. Dieta recentio-
rum carniū aucta esu. §. XXXVIII. XXXIX. Vesciebantur
bu-

bubula, caprina, §. XL. veterum de his iudicium. §. XLI. Consideratio fœtoris in homine caprina pasto. §. XLII. Quasi proprius athletarum cibus suilla. §. XLIII. Carnes edebant assas. §. XLIV. Assarum præ elixis prærogatiua. §. XLV. Coacti, ad certam quantitatem, vorabant. §. XLVI. De coliphiis. §. XLVII. An panes sine fermento sumserint. §. XLVIII. XLIX. Fabæ gladiatorum præcipuus cibus. §. L. Athletarum scurrilitas. §. LI. Eorum potus. §. LII. LIII. Tempora cibi. §. LIV. Ad ferendum tam copiosum cibum fecit corporis dispositio. §. LV. Consuetudo. LVI. Euacuationes crebræ per vomitum & clysteres, antiquissimus eorum usus. LVII. Qualia in hunc finem sint adhibita. §. LVIII. Athletæ in abusum verterunt & quotidianum fecerunt. §. LIX. LX. Ad vomitum utebantur, præter copiosum vehiculum, irritante digito, vel digitali vomitorio. §. LXI. Pinna vomitoria. §. LXII. Loro vomitorio, glomere. §. LXIII. Annon tam frequens vomitus aluum suppresserit. §. LXIV. Vomitus in balneo. §. LXV. Aegyptiorum hodierna praxis circa usum vomituum & clysterum. §. LXVI. LXVII. LXVIII. Epicrasis. LXIX. De nuperis excutiis ventriculi. §. LXX. Quomodo athletæ copiosum alimentum vicerint. §. LXXI. Cur cœnam prandio plenior habuerint. §. LXXII. De somno athletarum. §. LXXIII. Abstinencia a venere. §. LXXIV. LXXV. Quomodo effecerint, ne moles quæsitæ corporis iners & molesta euaderet. §. LXXVI. De unctione athletarum & pulueris insperione. §. LXXVII. Apotherapia. §. LXXVIII. Frictiones. §. LXXIX. Quod aeris diuersitati se adsuefecerint. §. LXXX. Iram compescere satagebant. §. LXXXI. De pœnis athletarum. §. LXXXII. Enarrata exhibere dietam virorum athletarum. §. LXXXIII. Athletas in victu non fuisse negligentes, sed accuratissimos, aduersus Mercurialism. §. LXXXIV. Obiter de dieta Pythagoreorum, Bagliuus expensus. §. LXXXV. Cui sint hæc vsui? §. LXXXVI.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS,
DE

**ATHLETIS VETERVM,
EORVM DIAETA ET HA-
BITV.**

PROOEMIUM.



Ogitanti mihi quid ex latissime pa-
tente rerum naturalium & medi-
carum suppellectile inprimis ex-
poliendum elaborandumque eli-
gerem, quo & ipse inquirendo mi-
hi prodessem & lectori meo ali-
quem vtilitatis aut honestæ dele-
ctationis fructum adferrem: vi-

sum fuit ea potissimum excutere & in ordinem aliquem
redigere, quæ, in optimorum scriptorum monumen-
tis dispersa, passim notaueram de gymnastica antiquo-
rum vita, diæta & corporum athleticorum singulari ha-
bitu. Quum enim studii qualiscunque nostri, quod in
bonas litteras, inde ab aliquot annis, posuimus, id qua-

si fatum fuerit, ut potius per longos errores &, ut spero, non poenitendos, quam rectissima via, ad illum portum pertigerimus, quem nunc inuehi videmur: pridemque conceptum salutaris artis desiderium ab aliis oblati laboribus aliquas moras perpeſsum sit: factum est, ut id maxime verum esse sentirem, quod prudentes viri grauitè aſſerunt, omnium eruditionis partium eſſe amicum aliquem nexum, & vinculis cohærere indiuisis, adeo ut lucem ſibi inuicem ſcenerentur clariffimam, nullam autem perfecte aliquis inſpicere & familiariter cognoscere poſſit, ſi reliquarum auxilio prorsus deſtituatur. Quare mihi infelices omnino ii videntur, qui, cum ſumma conſequi poſſent, modo præcipitanter ſe gerere nollent; impatienti deſiderio vnâ ſibi, ex litterarum longe patenti campo, percurrentem deſtinant particulam, pro ſuo quiſque iudicio aut amicorum ſuaſu, eamque, intactis reliquis aut contemtis, ita excolere ſatagunt, ut panem quantocyus, & quam maximo fieri poteſt prouentu, lucrentur. Non iam animus eſt per ſingula nunc ire rationum momenta, quibus diſſuadere infauſtam hanc feſtinationem poſſim, aut remouere ea, quæ ab illis obiici poſſent, qui contrarium ſerio ſtatuunt: id tantum dicam, adeo non obeſſe medico, quo minus omnibus ſui muneris & nominis reſpondeat partibus, ſi in aliis rebus, quæ ad medicinam directe non facere videntur, aliquot annos impendat; ut potius aptior reddi ſic poſſit ad reliqua, arti ſuæ domeſtica & propria, melius percipienda, digerenda, diſponenda, &, ſi occaſio ita poſtulet, cum aliis etiam communicanda. Talia aſſerens fidem facillime, credo, inueniam, ſi ex illis, qui immortalem ſui memoriam apud omnes reliquerunt, ſummis medicis, aliquos pro-

producam, quos non minus medendi scientia posteritati Machaoniæ admirabiles facit, quam reliquæ eruditionis incomparabilis elegantia apud omnes commendat. Ut enim viuorum modestiæ parcam, quis IOANNIS CRATONIS eximium nomen nescit & peruulgatam apud omnes gloriam? felicitate autem tanta medicinam fecit, ut trium augustissimorum Imperatorum medicus esse meruerit. Huic tanto viro non obfuit improbus labor, quem in theologiam & philosophiam, & illa studia, quæ humaniora vocare solemus, optimis vltus præceptoribus, per plures annos impendit: nec dubium est, quin potuisset plura in vsum discentium scribere, si per negotia licuisset foetus suos ipsi exponere & luci publicæ sistere. Quid de OLAO BORRICHIO dicam, incomparabili viro, & in multis scientiis versatissimo, medico autem inter præstantissimos numerando? aut quid de HERMANNO CONRINGIO, Germaniæ nostræ fulgentissimo fidere, quem theologi suum esse dicunt, iurisperiti & politici suum vindicant, philosophi repetunt, medici habent retinentque. Iustum autem opus mihi enasceretur, non terminis angustissimis circumscripta præfatio, si ZWINGEROS, GESNEROS, PATINOS, BARTHOLINOS, MERCVRIALES, HOFFMANNOS, CONSTANTINOS, FOESIOS, LANGIOS, FRACASTORIOS, DIETERICOS, WELSCHIOS, MELBOMIOS, PECHLINOS, ceteros, enarrare vellem: quare hoc quidem labore supersedeo, & ad id redeo, unde digressus & cuius gratia hæc præfatus sum. Vnicum modo, ante quam hunc sermonem abrumpam, dicere liceat, ita me intelligere optandam & laudandam rem esse, si quis omnium aut plerarumque disciplinarum ambitu perlustrato ad certam aliquam se demum conferat,

quam solam integro deinceps studio colat & perdiscat, nimirum si ætas & occasio opportunitatem suppeditauerint. Nam cui hæc minus fauent, quis illi vitio vertat, si vni rei totum se, quantus est, statim tradat, aut ex reliquis ea tantum seligat, quæ huic prouinciæ, quam suscepit, tuendæ ornandæque proxime inserviunt. Mihi autem propositum nunc est, pro virium ingenique modulo, & pro ea copia temporis, quæ elaborationi tam nobilis argumenti suppetit, illa in medium proferre, quæ ad priscae medicinæ antistites Hippocratem, Celsum, Galenum aliosque sequiores illustrandos idonea, apud philosophos, poëtas, historicos, & si qui alii sunt, sese mihi obtulerunt: eaque sic inter se conferre & coniungere, vt quilibet intelligat, quid illud sit, quod athleticum & gymnasticum veteres dixerunt, quid boni subsit, quidue vitiosi secum ferat, quid denique bonarum considerationum in physicam & medicam doctrinam inde redundet. Laborarunt iam in hoc argumento illustrando duo clarissimi viri, alter medicus, HIERONYMVS MERCVRIALIS, gente Italus, qui de arte gymnastica sex pulcerrimos libros nobis reliquit: alter autem Gallus, professione Ictus, PETRVS FABER, cuius *agonisticon* tribus libris ea ulterius prosequitur, quæ prior non penitus excusserat. Exstat etiam LAVRENTII IOVBERTI, itidem Galli & inter medicos non infimi, *de gymnasiis & generibus exercitationum apud antiquos celebrium* breuior quidem liber & non contemnendus, quamuis vltima lima ipsi defuit: sed cum duobus, quos commemorauimus, & inter quos ordine temporis medius est, haud comparandus. Et hunc cum nostris, tum iam maximam partem elaboratis quum eius copia fieret, diligenter contulimus. Enimuero prius laudatorum duumvirorum is videtur in scribendo finis

nis fuisse, vt, quicquid vlllo modo ad veterum certamina, exercitia, ludosue spectaret, oculis lectorum subiicerent: quum nobis nihil aliud curæ futurum sit, quam si quid ad ipsum habitum athleticorum corporum præfigurandum facere visum fuerit, aut ad illud viuendi genus pertinere, quo se iuuari posse ad habitum illum acquirendum veteres existimabant. Historiam eius argumenti, latissime omnino patentem, non nisi paucissimis & strictim consignatam, præmisimus, quia ad reliquorum intelligentiam necessaria videbatur. Faxit autem summum, quod veneror, numen, vt salutarem & optatum finem, ad quem hoc labore suscepto tendimus, plenissime consequamur.

§. I.

Exercitationum varia genera antiquissimæ consuetudinis & cum ipsis hominibus nata pariter esse & educata: plurima sunt quæ facillime persuadent. Quum enim in toto hoc genere voluptas, æmulatio, odium & conseruandæ sanitatis desiderium, tamquam causæ illarum & origo, pro cuiuscunque ingenio, spectari debeant: hæc quouis tempore omnibus inesse quilibet facile intelliget. Nec historiarum fides nos destitueret, si illud quidem demonstrare nunc vellemus, & non potius ad illum sermonem, quem de habitu & diætâ athleticorum animo concepimus, in medium nunc proferendum ita festinarem, vt breuissimis verbis de athleticorum hominum, ipsiusque eorum, tantopere olim celebratæ, artis origine, conditione ac fatis aliqua præmittenda existimarem, quæ rudem potius designationem facti sistant, quam accuratam & omnibus numeris absolutam enarrationem.

§. II. Quemadmodum vero omnium artium id quasi fatum fuit, ut res ipsæ sint artibus longe antiquiores, nihilque simul inueniatur & ad perfectionem perueniat illam, ut artis mereatur nomen: ita cum omnium exercitationum generibus idem accidit. Hermetem vero Aegyptium primum fuisse, qui in artis formam ea deduceret, grauium scriptorum a) fide & testimonio confirmamur. Ab Aegyptiis igitur, quibus Græci tantum non omnia debent, quæ in ipsorum monumentis admiramur, b) in Græciam peruenit illud studium corporis ad robur & vires exercendi & indurandi, primique, qui illud susciperent, Spartani videntur fuisse, quorum plurimæ leges & instituta ab Lycurgo tradita, debentur Aegyptiis, quod vno ferme ore veteres c) nobis declarant. In hac autem vrbe præ reliquis viguisse exercitationes, notius est, quam ut probatione egeat.

§. III. Reliquæ nationes Græca lingua videntes, siue illæ in Græcia proprie dicta confederint, siue Asiam tenuerint, siue magnam Græciam, par institutum amplexæ sunt, vel a Spartanis edoctæ, vel quod ex iis plurimi, qui Aegyptum adierant, rem ibi acceptam cum suis ciuibus communicauerint, vel denique quod Phœnicum antiquissimæ coloniae, quas magnus ille *Samuel Bochartus* nobis indicat, hos mores inuexerint, frequentibusque commerciis deinceps fouerint. Fuisse enim illam gentem in omne voluptatum & spectaculorum genus pro-

a) *Diodor. Sicul. biblioth. lib. I. palæstræ inuentor (Hermes) numerosæ concinnitatis, & corporis decore effingendi studiosus artifex. conf. CL. Fabricium bibliothec. Græc. Lib. I. p. 84.*

b) quod *Olaus Borrichius* satis euicit peculiaris de *Hermetis*, *Aegyptiorum & chemicorum sapientia* libri capite octauo.

c) vide *Plutarchum in Lycurgo p. 41. & Isocratem in encomio Busiridis.*

propensissimam, res est aliunde notissima. a) Ab Græcis igitur communi animorum æmulatione in exercendam hanc artem itum est, cui fouendæ rectores populorum & ciuitatum religionem prætexebant, laudesque honores & præmia proponebant, quæ cum sua voce ἄθλα dicerent, athletæ vocabulum enatum est, quo homines ad hæc præmia adspirantes designabantur, qui vero artem præmonstrabant gymnastæ, γυμνασταί, vocabantur, quia corpore nudato, vt minus impeditum esset, præstitutos labores peragebant οἱ γυμναζόμενοι, ad artem in gymnasiis adducendi. Plato eos vocauit ἀσκητὰς, vocabulo apposite significante, quia longis crebrisque exercitationibus opus erat, si quis artem hanc corporum, vt ita cum *Tertulliano* loquar, totam vellet perdiscere. Frequentissimum denique vocabulum, quo ad certamina utebantur designanda, erat ἀγών, cuius latissime fere patet significatus, ita vt musica etiam & theatralia certamina sub se comprehendat. Reliqua nomina, passim obuia, omittere liceat, quum eorum ratio ex infra dicendis satis sit apparitura.

§. IV. Ortæ sunt igitur veterum decantatissimæ sollemnitates, Olympia, scilicet, Nemea, Pythia & Isthmia certamina, ad quæ omnis confluebat Græcia. Horum autem religionem, leges, aut, quæ de tempore illorum agitantur, controuersias nostri propositi lege detinemur, quo minus hic possumus attingere. Vnicum adiicere non incommodum fuerit, exercitationes has liberos tantum admisisse homines, eosque fere nobilissimos & qui ciues essent, magnaue ductum fuisse tota Græcia laude victorem in his ludis citari. Quin immo ex publico his hominibus annua soluebantur stipendia, vt nos *Galenus* b) docet; idemque sub Romano imperio apud Græ-

a) conferri de hoc meretur elegans apud Herodianum locus libr. II. Φιλέορτοι δὲ Φύσει Σύροι, μάλιστα οἱ τὴν Ἀντιόχειαν κατοικοῦντες, μεγίστην πόλιν καὶ εὐδαίμονα, σχεδὸν παρὰ πάντα τὸν ἐνιαυτὸν ἐορτάζουσιν.

b) Suasoria ad artes orat. pag. 3. lin. 58. τὸ τῶν ἀθλητῶν ἐπιτήδευμα

Græcos populos obtinuisse ex *Plinii* a) ad Traianum epistola quadam licet colligere.

§. V. Iam vero non intempestium fuerit considerare, quibusnam exercitationibus tam celebres ludi peracti sint. In quo video plerosque scriptores valde inter se dissidere, aliosque alia enarrare certaminum genera. Quam quidem inter eos diffensionem ex eo ortam putauerim, quod non eodem tempore iisdem vti fuerunt occupationibus, sed temporis progressu, ut fieri in rebus humanis solet, quædam noua addita sunt, vetera autem aliqua mutata vel abolita. De quibus certum est, quod in sacris antiquorum certaminibus, Olympiæ, Delphis, Corinthi aut Nemeæ commissis, fuerint, sequentia sunt. *Cursu* præcipue exercebantur, huicque certaminis generi is habitus est olim honos, ut ab eo Olympia certamina ordirentur. Triplici autem genere constabat illud certamen: si quis enim inde ab carceribus ad metam tantum properabat, stadium percurrisse dicebatur, cui secundum veterem dimensionem sexcentorum ambulationis pedum longitudo tribuitur: si quis idem spacium a metis ad carcereſ remetiretur, diaulon absoluerat: quum vero quisquam, nulla interposita requiescendi mora, stadia percurrisset plura (in numero non conuenit, *Suidas* b) viginti quatuor, alii duodecim tantum numerant) is dolichodromum perfecisse censebatur, plenissimique certaminis in hoc genere decurſor. Verum etiam illi sunt cursoribus adnumerati, qui equos aut mulos agitando eadem spacia decurrebant, hinc *Phauorinus* c) ubi cursuræ species enarrat, præ-

ἐπιτήδευμα ὑποπλέω, μήποτε ἄρα τοῦτο, τὴν παρὰ τοῖς πολλοῖς δόξαν ἐπαγόμενον, δημοσία παρὰ τοῖς πάρεσσι τιτιμημένον ἡμερησίοις ἀργυρίου δόσεσι, καὶ ὅλως ἴσα τοῖς ἀριτεῦσι τιτιμημένον, ἐξαπατήσῃ τινὰ τῶν νέων.

a) Lib. X. ep. 119. vide ibi ab Cl. viro & huius academix immortalis decore, *B. Chr. Cellario* adnotata, adde etiam, si placet, *Plutarchum* Tom. II. p. 639. E.

b) voce δολιχος.

c) voce πένταθλον.

præter δαυλον & δολιχόν, etiam τέθριππον, quæ fit quadrigis, κέλῃα, quæ equo defultorio, & ἀπήνην, quæ rheda mulis vecta peragitur, enarrat, idemque auctor, cum *Suida*, a) δολιχόν exponit τὸ ἵπποδρόμιον, quod non alia de causa factum puto, quam quod pedibus non minus, quam animalium & curruum ope, apud Græcos olim hoc cursus genere decertatum fuit. Ceterum *Plutarchus* b) omnino non satis caute scripsit: τῶν ζώων μόνῳ τῷ ἵππῳ μετουσία σεφάνων ἢ ἀγῶνος ἐστίν. *Ex omnibus animalibus soli equo licet in partem certaminum & coronarum venire*; apud *Pindarum* enim etiam in eos epinicia videas, qui rheda mulis vecta victores fuerunt.

§. VI. Cursum excipit ἄλμα, saltus, qui non modo simplicem corporis, ad certum aliquod spacium, cum celeritate translationem denotat, sed quoque illum motum, quum in altum exsilimus. Saltum autem facientes iuuari se magnopere halteribus sentiebant, quos manibus tenebant, ne brachia libere fluctuarent. Quæ autem de halteribus leguntur incerta pleraque sunt & controuersa, de quibus illi consulantur c) qui ex instituto talia describunt. Illud notamus ab hoc exercitio differre plurimum saltationem, cui veteres deditissimi quidem erant, non autem athleticum putabant. *Petrus* tamen *Faber* d) saltationem Pyrrhichiam, quæ fit cum armis, referendam huc monet.

§. VII. Ab hoc ad tertium genus progredimur δίσκος seu iactum disci, qui, vt *Phauorinus* e) describit, vel ex lapide factus orbis erat, vel ex ære, vel denique ex ferro, in medio perforatus, vt lignum posset indi, quo prehenso quam
B
lon-

a) Hic quidem *l. c.* ille in voce δόλιχος. Ad *Suidam* doctissimus *Kiisterus* ita subnotat: *nescio an hæc lector sine censura dimissurus sit, certe mihi non probantur.*

b) Loco superius citato.

c) *Mercurialis de arte gymnastic. pag. 162. seqq.*

d) *Agonistic. lib. I. cap. 5.*

e) *Ἰν δίσκοι & δίσκος ἐκ σιδήρου.*

longissime in altum protenus iaceretur. Sed de forma apud omnes non conuenit auctores, forte nec constans fuit & idem illius apud omnes vsus: videri interim *Mercurialis* a) potest. Nec multum a disco recessit ἀκων seu ἀκόντιον *iaculum*, seu missile quoduis instrumentum, quo, tamquam certaminis quarto genere, solebant exerceri, ad certas leges proiiciendo.

§. VIII. Enarrata iam quatuor genera *leuibus exercitiis* puto esse adnumerata, de cuius nominis ratione inferius dicendum erit; nunc illud modo, antequam ad grauius progrediar, addo, pilæ etiam ludum in ipsis Pythiis sacris apud Apolloniatas olim esse exhibitum, qui inter enumeratos fere leuissimus, & quamuis priuatis magno vsui & delectationi fuit, proinde etiam a medicis haud raro magnopere commendatus: tamen inter athletarum propria exercitia a nemine, quod sciam, pila refertur. Vide *Petri Fabri agonisticon*. b) *Hieronymus* autem *Mercurialis* c) pilæ Græcæ diuersam a Latinorum consuetudine rationem, pro more suo, eleganter describit, & non sine ratione cum saltatione coniungit; ibidemque de huius exercitationis apud Romanos vsu pluribus exponit.

§. IX. Ex *grauibus* certaminibus erat πάλη *lucta*, vnde palæstra vocatur ille locus, vbi ad colluctandum homines instituebantur, & necessaria ceromatis inunctione ac pulueris insperione, quod luctæ proprium est, præparabantur, quamuis non ignorem, vel *Plutarcho* d) teste, palæstram alibi tam late sumi, vt designet τόπον ἐν ᾧ γυμνάζονται πάντες οἱ ἀθληταί, locum exercitiis omnium athletarum destinatum. Erat autem luctatorum in eo sita exercitatio, vt mutuis comple-

a) de arte gymn. p. 166. 167.

b) lib. I. cap. 6. p. 21.

c) lib. II. cap. 4. rationem pilæ Græcæ exponit, capite autem quinto, Latinæ. addi potest *Galenus* eleganti de *exercitatione, quæ fit parua pila*, libello.

d) *Sympos. lib. II. probl. 4.*

plexibus sese deuincirent & concertationis maiorem partem varie miscendis atque constringendis inuicem corporibus peragerent, donec in terram alteruter vel vterque prosterneretur; quod *τραχηλίζεσθαι* Græco vocabulo dicebant. Hæcque fiebant in lucta deiectoria, cuius hic finis erat. Erat autem alia etiam luctæ ratio, quam *ἀγκοχειρισμός* prisca appellabant, vbi stantes & manus protendentes vincebant aduersarios, quo *Ouidius* a] respexit, quando Acheloi luctam cum Hercule describit:

*Cum pede pes iunctus, totoque ego pectore pronus,
Et digitos digitis & frontem fronte premebam.*

§. X. Succedit *πυγμαχία*, pugilatus, qui cruentum præbebat spectaculum & cum sanitatis & integritatis periculo coniunctum, quare in celeberrimis Græcorum agonibus vix receptus legitur, quum indidem proscriberetur, mox tamen postliminio recipiendus. Pugiles, inquit *Plutarchus*, b] quando inter se congregiuntur, *οὐδὲ πάνυ βουλομένους ἑῶσιν οἱ βραβεύαι συμπλέκεσθαι*, i. e. non licet se inuicem complecti: solis pugnis res erat peragenda, quibus antiquissimi homines nudis utebantur: subsequuti ex corio bouino crudo, implicatis arte quadam lorulis & ad volas reuinctis, manuum robur augebant, cuius rei exemplum nobis *Pausanias* c] enarrat. Postremi autem cæstus inuenerunt, qui vocabantur, vt *Mercurialis* d] nos docet, laminæ æneæ manibus alligatæ; quibus autem alligabantur, erant lora quædam punctis interstincta, quæ manibus & brachiis circumcirca alligabantur, vt non modo pondere aliquo & crassitie, verum etiam soliditate, cæstibus certantes seipso ferirent. Hactenus *Mercuri-*

B 2

alis,

a] *Metamorphos. Lib. IX.* ineunte, qui locus totam luctæ rationem eleganter exponit, & eius, quæ *ἀγκοχειρισμός* vocatur & alterius, quum mutuis complexibus certantes sibi inuicem complicantur; a versu 29. ad 62.

b] Loco ante citato.

c] *Arcadic. cap. XL. pag. 682. edit. Lips.*

d] *Libr. II. cap. IX.*

alis, apud quem ipsa pictura, quam apposuit, a] rem clarius præmonstrat. In vniuersum itaque hæc pugna *ὀρθοσάδην* absoluebatur, finisque is erat, vt ille, qui grauius læsus aut primus viribus destitutus esset, victum se manu, sermone vel alio gestu profiteretur, quod in hoc solo pugilum, non alio certamine, locum habuit.

§. XI. Ex lucta & pugilatu aliquod quasi compositum certaminis genus erat, quod *pancratium* dixerunt veteres, quo illi, qui inter se dimicabant, non solum, vt res ferebat, pugnis se inuicem percutiebant, sed quoque manus sibi iniiciebant & deiicere alterum conabantur, deiecti etiam, inter firmos complexus, eo nitebantur, vt alterum depressum ac suppositum retinerent, nihil intermittentes, quo se ad hoc posse iuuari putarent, adeoque nec vnguibus nec dentibus abstinentes. Atque hoc genus, vt dixi, pancratium & sæpe cum additione, volutatorium appellabant.

§. XII. Tribus adhuc verbis de *pentathlo* addendum est, quod nomen illi imponebatur, si quis posset omni agonistica facultatis genere, quæ superius enarrauimus, decertare & victoriam reportare. Ceterum dicendum nunc est etiam paucissimis, quod, qui se eo comparabant, vt victores horum publicorum & solemniū ludorum fierent, multo tempore sese antea magistris harum artium tradiderint formandos & præparandos, quo tempore multa facienda & ferenda erant, a multis etiam sese abstinere debebant. Quin immo ante illud ipsum tempus, quo pro corona decertare vellent, oportebat per præstitutos dies præparari & præexerceri, quod *προαγώνα* seu *προγύμνασμα* dicebant. *Phauorinus* b] illud spacium triginta dierum fuisse docet, sed multo illud longius & decem mensium fuisse *Petrus Faber* c] ex *Pausania*, comprobabat, simulque id docet iurisiurandi religione [in templo Iouis *ὀρκίου* fuisse adactos, vt omnibus artis antiquæ statutis ac

le-

a] pagina 154. 155. 156. editionis Amstelod.

b] in *ὀλύμπια*.

c] Libr. III. cap. 4. & cap. XXIII.

legibus, quam fieri posset accuratissime, per totum hoc tempus satisfacerent. Sed idem auctor alio loco a] cum *Phauorino* sentireprehenditur. Quod quidem legitimum tempus ab ipso tirocinio diuersum esse, vel ex eo satis apparet, quod longe minus sit, quam ad illum habitum tum artis tum etiam corporis comparandum sufficiat. Sed de præparatione & habitu illo mox dicemus, quum prius viderimus rei athleticæ apud Romanos faciem. Quum enim non Græcis solum, sed Romanis maxime monumentis, ad harum rerum intelligentiam, vti debeamus: necessitas ipsa nos cogit rem hoc modo instituere.

§. XIII. Romana igitur ciuitas, vt omnium deorum religiones susceperat: ita quicquid alicubi ludorum & voluptatum erat eo magis ad se transtulit, si essent cum religionis prætextu & honore coniuncti. Quemadmodum vero non eadem se nobis forma, & moribus iisdem, Roma semper offert: ita, si hoc institutum spectes, inuenies sane eandem rem, sed longe minori pretio habitam, quamdiu libera fuit. Antiquissimi Romani non destituebantur pugilum exercitationibus, theatrum etiam admittebant & circi ludis delectabantur, quæ videntur a Græcis moribus non aliena; in hoc tamen haud leuemprehendas diuersitatem, quod nobiles ciues suam grauitatem minus decere tales occupationes, saltem in publico exercendas, arbitrarentur. Vnde viliores fere tantum homines erant, qui his rebus publice operam dabant. Maxime autem bellicosa natio delectabatur cruentis gladiatorum spectaculis, antea apud Campanos & Etruscos familiaribus, adeo quidem, vt nullum facile magis placeret, quam quo plurimum sanguinis profunderetur, nec coena satis in conuiuio suauis videretur, nisi aliquot gladiatorum paria caderent. Hi vero gladiatores vel bello erant capti homines, vel ære a barbaris nationibus ad id comparati, vt, in ludo prius saginati & ad horrendam artem eruditi, vel cum publica munera populo ederentur, vel cum priuati a lanistis eos sibi emere vellent, in promptu essent. Quando autem

depugnabant vt plurimum pedestres quidem erant, sæpe tamen effedis impositi stantes, aurigante interim seruulo, inter se decertabant, quod ex *Suetonio* a] clare discimus. Ii vocabantur effedarii.

§. XIV. Postquam autem hæc vrbs, orbis iam domina facta, in vnius domini seu imperatoris potestatem deuenit: horum intererat bellicosum populum aliis imbuere moribus, & multitudinem quidem otiosam spectaculis variisque oblectamenti delinire, vt seruitutem moderatius ferrent, nobiles autem sensum eo deducere, vt suæ grauitatis obliuiscerentur. Cuius quidem rei in Iul. Cæsare iam inspicimus clarum documentum, qui, quum in priuatis domibus ludos pro gladiatoribus instituisset, eos non per lanistas, sed per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos, erudiebat; b] immo eodem sub principe senatores iam & equites Romani, publicis in foro muneribus, se intermiscebant gladiatoribus; post hunc Augustus senatoribus quidem interdixit, equitibus vero permisit gladiatoribus interesse. c] Quo res tandem temporis progressu deuenit, obscurum nemini esse potest Neronem intuenti aut Domitianum aut Commodum, qui se abiectissimis mancipiis intermiscere ipsi non verebantur, vt multitudini inconditæ suis insaniis placerent. Maxime autem Domitianus ex his insignis est, qui aliquamdiu intermissum pugilatum reuocauit, cui *Martialis* d] quidem ob id gratulabundus blanditur, tamquam *veteres Latiae ritus renouanti arenæ, qua pugnet virtus simpliciore manu*, quod non ita voluit, vt gladiatorum antiquauerit certamina, sed, tamquam non satis esset in vrbe ludorum, hos, obliuioni fere traditos, addidit prioribus, & hoc insuper adiecit, vt feminæ etiam pugnare gladiatoribusque interesse debuerint, quod ex eodem *Martiale*, vt & *Iuuenale*, e] discimus.

§. XV. Pu-

a] in *Caligula* cap. XXXV, 8.

b] *Suetonius* in *Iul. Cæsar.* cap. XXVI, 8.

c] *Idem* in *I. Cæs.* cap. XXXIX. & *Augusto* c. 43.

d] *Libro IIX. epigr.* 80.

e] *conf. Martial. Spectac. epigr. 6. libr. 6. epigr. 66. Iuuenal.*

§. XV. Pugilatus autem, vt frequenter hoc æuo exercebatur; ita non minus certe erat ipsa gladiatura infamis, vt fere plurimos huius generis homines ære ad id comparatos, aut sententia iudicis addictos, inueniamus. Legimus a *Petro Fabro* a] ex optimis historicis relatum, sub Galerio & Maximino Impp. Christianum nomen professos, tamquam nocentes homines, agoni pugilatus, apud Cæsaream subeundo, esse adiudicatos, cuius impii instituti legibus quum nec vellent nec possent se subiicere, oculis fuerunt orbat. Mirandum tamen non defuisse, qui sponte se & libera voluntate pugilatui & gladiaturæ subiicerent, leui auctoramento inducti, &, quod magis mireris, homines proauorum laudatissimorum stemmate ortos, auctores iurasse vri, vinciri, (*Lipsius* mauult legere virgari) ferroque necari; quos quidem digne exagitat *Iuuenalis*. b] De gladiatoribus, eorum conditione, variisque generibus, pauciora attulimus, quoniam de iis doctissimus vir *Iustus Lipsius*, *Saturnalium sermonum duobus libris*, copiose egit.

§. XVI. Sed vt ingeniosi sunt homines permutandis voluptatibus; ita nihil diu delectare admodum potest, quotidieque talibus studetur, quæ nouitatis gratia blandiuntur. Aurigationum itaque spectacula circensia reliquis tandem ita præualuerunt, vt vnice hominum fauorem mererentur, subortæque hinc factiones c] non raro ipsam rei summam ad arbitrium suum flecterent, quod obicurum non est imperatorum vsque ad Iustinianum historiam peruoluenti, aut vnicam modo *Procopii arcanam historiam* legenti. Quo magis factum existimo, vt insequuti Imperatores cogitandum sibi statuerint,

Satira 6. v. 246. seqq. addi potest *Suetonius Domitiano cap. 4.*

a] *Libr. III. cap. XI. pag. 271.*

b] *Satira VIII. v. 190. seqq.*

c] *de his legi potest ad C. Plin. l. IX. ep. 6. B. Chr. Cellarius, & præter ibi citatos Nicolaus Alemannus annot. ad Procopii historiam arcanam p. 25.*

erint, qua possent ratione, cum existimatione harum exercitationum, rem tandem ipsam prorsus abolere. Qui enim Iuliani temporibus scripsit, *Oribasius* a] medicus, pueros quidem ad huc exerceri tunc ad bonum habitum solitos, & ipsos athletas, commemorat; quo autem tempore *Eustachius ad Homerum* b] commentatus est, eo res deuenerat, ut athletarum nomen & professio essent deridiculo. Gladiatorum quidem spectacula cruenta Constantinus M. edicto sustulerat, sed quod ipse nimis libenter vetitis certaminibus oculos pascebat, exemplum magis quam edictum valuit. Honorio autem imperante penitus sunt abrogati & e Rep. proscripti, ex quo tempore gladiatores dicti sunt carnifices. c] Quid reliquis certaminum generibus exitium attulerit, an principum edicta, an vero turbulenta & bellis inquieta tempora, exterarumque gentium in Romanas ditiones illuies, non vacat inquirere. Equidem censeo ad hanc rem maxime fecisse Christianæ religionis sanctitatem, quæ plurima in his exercitatoribus foeda, & hanc religionem professo indignissima, patefecerat, usumque seueris constitutionibus ecclesiasticis coercuerat.

§. XVII. Non licet nunc alias etiam intueri, post Græcos & Romanos, gentes & præcipue antiquissimorum in Germania nostra hominum mores considerare, & quibus, qualibusue ipsi exercitationum generibus fuerint dediti, multum expendere; quamuis forte aliquid deprehendi non dissimile antiquorum exercitationibus posset, si quis in ludorum equestrium, quos torneamenta dixerunt, ultimam originem vellet inquirere. Superfedebimus autem hoc labore vltioris inuestigationis & potius ad ea accedemus, quæ medica consideratione, in athletica re illorum populorum, quos præ manibus habemus, digniora videntur.

§. XVIII. Omnium scilicet minime otiosi spectatores tantum rei athleticæ medici erant, sed in partes omnino ipsi etiam

a] *Synops. lib. I. præfatione ad Eustachium filium.*

b] *Iliados* & seu penultimum.

c] *Barthius. Aduersar. lib. XV I. cap. 12.*

etiam abripiebantur. Hi enim nascentem quasi suscipiebant artem, & salubribus præceptis formabant, ut corpori quam maximum afferret emolumentum. Sed non præceptis tantum, ad diætam rectissime instituendam, eius incrementa iuuant, verum etiam pluribus corporum, tali arti deditorum, morbis & affectibus, tam internis quam externis, succurrebant. Quod minime dissimulat *Galenus*, a] vitiosæ gymnasticæ, quæ suis temporibus inualuerat, acerrimus alioquin insectator, legitimæque auctores non contemnendos laudat Hippocratem, Dioclem, Praxagoram, Philotimum, Erasistratum atque Herophilum, clarissima sane in medicorum scholis nomina. Quin immo *Platonis* b] gravissimo testimonio constat Herodicum, paullo ante Hippocratis tempora, illam disciplinam medicinæ adiunxisse, seu ad boni habitus acquirendi finem transtulisse.

§. XIX. Medici itaque athleticam rem primo direxerunt; & cum multa ex illorum temporum usu essent viliora, utpote in balneis, frictionibus, inunctionibus, manuum opera, ab homine tamen non imperito, peragenda: ad hoc ministerio suorum mediastinorum utebantur. Quum etiam non minus frequenter luxationes & distorsiones membrorum acciderent; ad illas percurandas famulorum quoque utebantur opera. Sed hæc res cum tempore multa peperit incommoda medicis. Quum enim hi homines in his rebus aliquam usu multo exercitationem acquisivissent; insolentius se gerere in magistros coeperunt, totamque rem in suam possessionem abriperunt. Vnde a tam longo iam tempore coepit chirurgia quasi βάνανος & vile opificium reddi. Sed non contenti hoc ipso spolio, vniuersam artem medicam inuolare & ad se rapere annisi sunt, postquam audaces esse in vilissima eius parte didicerant. Sed & prorsus in contemptum vniuersæ medicinæ res hæc accidit. Quum enim ipsi illi, qui se sic gerebant, viles essent homines, & libenter se nobiliorum seruitiis darent,

C

quo-

a] ad *Thrasymbulum*.

b] citante *Mersuriale* pag. 17.

quorum fere quilibet domi locum pro exercitando corpore eoque lauando perungendoque habebat; in familiam sibi adfciſcebant tales iatraliptas: vnde fabula inoleuit medicos olim Romæ feruitutem feruiuiſſe.

§. XX. Vidimus quam varia fuerint certamina, quibus priſci mortales vel ſpectandis vel ſubeundis tantopere delectabantur. Tempeſtium nunc videtur diſpicere quinam ex illis intelligendi ſint, quando apud Græcos pariter & Latinos ſcriptores mentio athletarum occurrit. Equidem fateor diſcillimum mihi heic viſum fuiſſe aliquid ſtatuerè, quod antiquitatum cultoribus omnibus ſatisfaceret, ſi rigidius velint mecum agere. Tandem autem rationes ita ſubduxi meas, vt neminem me reprehenuum ſperarem, ſi, quoscuque habitus & diætæ illius, quam conſidero, ſtudioſos inuenirem, in hac tractatione athletas dicam, adeoque gladiatores etiam, aut ſi quos alios Roma apud Græcos notis athletis adiecerit, aut in aliam formam tranſmutauerit, in hunc numerum recipiam.

§. XXI. Sed hic aurem vellicat *Ioubertus*, a] qui illos tantum ſtatuerè videtur huius acquirendi habitus cauſſa athleticam diætam obſeruaviſſe, qui grauibus exercitiis dediti erant, quæ propterea putat nomen hoc accepiſſe, quod gravitate, ex corporis maxima mole comparata, indigerent. Ita ſolis pugilibus, luctatoribus & pancratiſtis nomen illud remaneret, curſores autem cum ſalientibus & iaculatoribus, ex parte etiam, & *Iouberti* iudicio, gladiatores exciderent nobis. Verum enim vero quicquid ſit de nomine grauium certaminum, illud non euincet *Ioubertus*, quod voluit: quum de gladiatorum quidem ſagina tam clara exſtent teſtimonia, vt dubitandi nullus omnino ſuperſit locus. Videri autem illa apud *Lipſium* b] poſſunt. De ceteris ex eo certiores de diætæ ſtudio reddimur, quod iidem, qui leuioribus vicerunt, etiam grauioribus victoriam ſæpe ſunt in iisdem certaminibus adepti, adeoque quinqueſiones celebrati, Si autem grauiora nemo vincere ſine cor-

a] de gymnafiis cap. V.

b] loco ſup. cit.

corporis grauitate potuit, quod *Ioubertus* admittit; & tamen illi graues, & mole corporis macti homines, leuioribus vicerunt eodem tempore, quo in grauib; victoria potiti sunt; sequitur sane vt molem corporis eam fuisse sentiamus, quæ nec pernicipitati pedum, nec reliquorum membrorum agilitati, quicquam officeret. Ne nunc dicam qua virium ostentatione saltum exercentes se offerant, qui certamina non expediti suscipiebant, sed vel calceis ex plumbo factis vel massis plumbeis prægrandibus circa humeros adaptatis, aut brachio vel alia corporis parte gestatis, impeditissimi prodibant. Qui vero discum iaciebant aut iaculum torquebant, aut halteribus exercebantur, iis certe non minimis lacertis aut languidis, sed oppido torosis opus erat. Ipsos denique cursores, vt velocitatibus se commendarent, maximeque cum dolichon decurrebant, non languidos fuisse oportet. Denique omnem dubitationis scrupulum eximit Milonis Crotonitæ decantatissimum robur & voracitas plus quam athletica. Hunc, cum bouem humeris suis gestans stadium decurreret, non graui certamine occupatum fuisse clarum est; sed nec hoc obscurum quod reliqua vita ἀθλητικώτατος fuerit.

§. XXII. Forte autem in gratiam cum *Iouberto* redibimus, si ipsi demus leuioribus exercitiis primo subactos esse, qui ad perfectionem athleticam aspirarent, tantisper donec cum tempore ad grauiora promouere liceret; intereaque operam dedisse, vt, per debita momenta progressi, diætam ipsam penitus tolerarent, & sic robur maioribus ferendis par acciperent: ille vero nobis concedat, quod prouectiores in arte, fouendis viribus & acquisiti habitus conseruandi gratia, ad leuiora subinde redierint, vincendique tandem studio ea etiam, quæ in leuioribus his difficillima sunt, obierint. Quod tamen non ita contendo, vt obtinere velim etiam quum de iis sermo est, quos sub Romano imperio, propter commissum aut obiectum crimen, ad gladiaturam vel pugillatum damnatos dixi: hos enim suspicor non per totum orbem exercitationum gymnicarum, sed, quam proxima fieri poterat, via, ad faginam & miseræ artis perfectionem ductos fuisse: & vix alia habuisse laborum,

C 2

qui

quibus durarentur, genera, quam vt per omne tempus inter se rudibus, præmonstrante lanista, batuerent, aut ad palum exercerentur: sed de iis potissimum, qui, apud Græcos Romanosue, libera voluntate & gloriæ cupiditate adducti, celebrium certaminum victores euadere sustinebant.

§. XXIII. Ne autem sine testimonio minorem fidem merear, duos pro me adferam sententiam ferentes, quos credo illud plene euicturos, quod in hac tota re controuersum est. Primus esto integerrimus Philosophus Epictetus, quem *Arrianus* a] inducit ita loquentem: θέλω ολύμπια νικῆσαι. ἀλλὰ σκόπει τὰ κηθηγόμενα ἢ τὰ ἀκόλουθα: *Vellem, inquis, Olympiæ victor citari; sed considera quæ antecedunt, quæ consequantur.* Hæc vero dum enarrat, simul omnem diætam athletarum recenset, quem locum integrum huc non transferam, quia commodius alio tempore proferetur. Alter iam audiendus est *Athenæus*. b] Is, quum Milonis robur & voracitatem exposuisset, ita subiicit: ἢ οὐδὲν παράδοξον τοῦτους τοὺς ἀνδρας ἀδδηφάγους γενέσθαι. ΠΑΝΤΕΣ γὰρ οἱ ἀθλοῦντες μετὰ τῶν γυμνασμάτων ἢ ἔδιδεν πολλὰ διδάσκουσαι. *Mirum non esse hos homines multi cibi capaces fuisse; OMNES enim athletas cum exercitationibus simul etiam doceri multa edere.* Itaque confidenter adferimus certaminum diuersitatem non illud efficere vt idem vitæ genus non fuerit omnibus legitimis athleticis, vt nec vitæ genus, corporisque habitus, per se vllum prohibuit ab consuetis exercitiis, qui gymnycorum & palæstricorum nomine vspiam censentur.

§. XXIV. *Galenus* c] videtur omnem hunc scrupulum iniecisse, idem igitur eximit attente consideratus & recte intellectus: οἱ ἀθληταὶ τροφὰς μὲν οὖν (vulgo, sed male legitur οὐκ) εὐχυμοτάτους λαμβάνουσιν, ἀλλὰ παχῆς ἢ γλιχρούς, οἱ γὰρ βαρεῖς αὐτῶν (ὀνομάζουσι δ' οὕτω μάλιστα μὲν τοὺς παλαιστὰς, ἥδη δὲ καὶ τοὺς παγκρατιαστὰς τε ἢ πύκτας) δεόνται τροφῆς δυσφθάρτου

a] *Dissert. Epict. libr. III. cap. XV.*

b] *Dipnosophist. Lib. X. cap. II. p. 412. ed. Casaub.*

c] *de aliment. facult. lib. I. cap. II.*

του τε καὶ δυσδιαφορήτου, τοιαύτη δ' ἐστὶν ἡ τῶν παχέων καὶ γλιχρῶν
 χυμῶν, ὅποια μάλιστα ἐστὶν, ἥτε ἐκ τῶν χοιρείων κρέων καὶ τῶν, ὡς
 εἰρηλαί, σκευαστῶν ἄρτων, ὅσπερ οἱ νομίμως ἀθλοῦντες ἐδίδουσι μόνοι.
Athletæ cibos capiunt boni succi, sed crassi ac lentī, saltem ii,
qui ex illis graues dicuntur (attende hic primo vocari omnes
 athletas; hinc κατ' ἐξοχήν graues designari.) *i. e. præ reliquis*
palæstrici, sed, ut nunc loqui consueuimus, etiam pugiles & pan-
cratiastæ, opus habent cibo, qui nec facile corumpatur, nec trans-
spiret. Tales autem sunt, qui crassum habent succum, cuius
generis, præ reliquis sunt carnes suillæ, & panes, supra expo-
sito modo confecti, quos (cibos) illi soli comedunt, (nempe ad
præscriptum & ex necessitate) qui leges athleticas stricte ob-
seruant. Hi autem non sunt alii, quam, in vniuersum di-
 cendo, qui se certaminibus sacris præparabant, ex his vero
 præcipue, qui ab exigui momenti laboribus ad summos trans-
 ierant, id est palæstritæ, pugiles, pancratiastæ, & hi omnes
 eo maxime tempore, quando ad τὴν ἀκμὴν τῆς ἀσκήσεως, vl-
 timum præludiorum articulum, peruentum erat: quippe in
 ipso loco habendi certaminis, per legitimum τοῦ προαγῶνος
 spacium, accuratissime viuendum erat. Illud enim νομίμως
 ἀθλεῖν non ad ipsum actum pro corona decertandi restringi
 debet, sed, ex vsu Græciæ, ad omne, quam latet id patuit,
 institutum athleticum. Idem esto etiam de gladiatoribus, &
 si quid aliud Roma Græcanico instituto adiunxit, sensus, i-
 dem iudicium.

§. XXV. Sed non leue dubium superest de circensi-
 bus Romanorum certaminibus, vbi equis agitandis & auri-
 gationibus occupabantur, vtrum his dediti athleticam quo-
 que vitam vixerint? Equidem, si Græcorum mores respicio,
 rem, vt supra vidimus, inter cursus certamina apud athletas
 reperiō: si Romanos adeo, eundem Commodum aurigando
 se exercentem inuenio & cum bestiis luctantem (*Herodianus*
notanter scribit: θηρίων ἐξ ἀντιτάσεως μάχας ἐπαιδέυετο) &
 gladiaturæ ita deditum, vt nemo supra posset: verum tamen,
 quo satis claro & omnem ancipitem curam submouente te-
 stimonio confirmem, omnes illos aurigatores veterum circen-

ses diætā athleticā tenuisse & habitui studuisse, fateor me-
nondum potuisse inquirendo assequi. *Ovidius* a) quidem, v-
bi Phaethontis fatum enarrat, ita fabulam explicat, vt non
obscurum sit suspicari, ipsum, pro poetarum more, ad sui tem-
poris aurigatores respexisse: de Phaethonte autem sic canit:

*Occupat ille leuem iuuenili corpore currum,
Statque super, manibusque datas contingere habenas
Gaudet.* - - -

*Sed leue pondus erat, nec quod cognoscere possent
Solis equi, solitaque iugum grauitate carebat.*

Grauitate autem corporis & non mediocri robore opus sane
erat, si quis quatuor generosos equos, tot enim plerumque
adhibebantur, leui & versatili vehiculo iunctos; aut, quod
in Iouis honorem factum legitur, seiugem; aut denique,
quod Mithridates olim & Nero Claudius Olympiis instituit,
decemiugem, ita vellet regere, vt, habenis per tergum cir-
cumdatis, totius corporis nisu, & manuum ope, sic tempe-
raretur cursus, quo flecti ad arbitrium sistique possent. E-
nimvero de rei athleticæ constitutione satis videmur mul-
tum loquuti, & plus fortasse etiam, quam ferre omnes pote-
runt: pes tandem figendus est, vt ipsum nunc vitæ genus seu
diætā athleticarum consideratius proponamus, & exinde ad
habitum intelligendum progrediamur.

§. XXVI. Diætæ vocabulum Græcum est, & medica ac-
ceptione significat iustum regimen circa omnia illa, quibustum
ad conseruationem corporis absolute opus est, tum etiam ad
statum & habitum illius aliquem consequendum indigemus.
Adeoque hic latius aliquanto accipienda nobis vox est, vt præ-
ter illas res, quas non-naturales dicere solemus, & quibus o-
mnibus opus est, ea etiam complectatur, quæ his tantum homi-
nibus præ aliis commendata, & solemnia erat, qui ad habitum
athleticum exercebantur consequendum. Ita nobis etiam bal-
nea, frictiones, vomitiones, & id genus alia artificialia, in hunc
censum erunt referenda.

§. XXVII.

a) *Metam. II. v. 150. seqq.*

§. XXVII. Vario autem modo circa diætam veteres occupati fuerunt, & est sane hæc pars, quantum ratione consequimur, omnium, in toto medicinæ ambitu, antiquissima. In vniuersum autem constabat olim duabus speciebus, pro totidem finibus, quos obtinere contendebant; aut enim replere corpora infirma & exsanguia conabantur, aut deplere & attenuare nimia mole obrutos. Athletas autem ad priorem finem ita contendisse, vt nemo magis posset, in propatulo est, nosque hanc solam, altera dimissa, spectaturos esse consequitur.

§. XXIX. Quod dum conamur, per singula ire oportet, quæ vlllo modo huc pertinent; faciemus autem initium a cibo & potu athletarum, quippe præcipuum, quod iis obicitur, est insignis voracitas in artis quasi formam redacta. Si antiquissima tempora inspicimus, quantum scilicet originem diætæ huius possumus proxime attingere, simpliciorum victum athletarum deprehendimus, forte etiam minus reprehendendum. Quæ enim in rebus humanis communis est calamitas, vt omnia potius in deterius ruant, quam in melius vergant: hic quoque accidit. Sed audiamus veterum idonea testimonia: Ita vero *Plinius*: a] *corpus & vires adiuuant ficus, ob id ante athletæ hoc cibo pascebantur. Pythagoras exercitator primus ad carnes eos transtulit.* Plinio adstipulatur *Diogenes Laertius* de Pythagora dicens: b] *λέγειται δὲ πρῶτος κρέασιν ἀσκήσας ἀθλητὰς, τῶν πρότερον ἰχθῶσι ξηραῖς καὶ τυροῖς ὑγροῖς, ἀλλὰ καὶ πυροῖς σωμασκοῦντων αὐτοῦς.* Dicitur *Pythagoras* (non Samius philosophus sed Phliasius, quem ipse inferius *σωμασκητὴν ἀλείπτην* vocat, *Plinius* exercitatore) *primus ad carnes vorandas exercuisse athletas, quum prisca gymnastæ caricis siccis, & caseo recenti, quin etiam tritico, eos educauerint.* His addamus *Pausaniam* c] cuius testimonio *Stymphalius Dromeus* primus carnibus vesci cœpit, quum athletæ ante ipsum caseo e fiscellis vescerentur (*τέως δὲ τοῖς ἀθληταῖς*

a] *Hist. Natur. lib. 23. c. 7.*

b] *Libro VIII. p. m. 575.*

c] *Eliacor. post. c. VII. sub finem.*

ἀθληταῖς σίλα τυρὸν ἐκ ταλάρων εἶναι.) Adeoque antiquissimorum athletarum simplicem victum videmus ex caricis, cafeo recenti & tritico. Siue autem Pythagoras siue Dromeus primus immutarit illum; nostra parum refert.

§. XXIX. Illud potius iuuabit, paullulum considerare ea, quæ primis athletis ad molem corporis suffecerunt. Initium faciamus a ficuum seu caricarum examine, quarum vsum & in alimentis hominum & in cibo animalium multis verbis profequitur laudatus *Plinius*. Non autem multis inquiremus an hominibus earum virtus alendi & faginandi per se innotuerit, an vero ab animalibus eam didicerint; illud constat hominum & brutorum vñibus insignibus inde ab immemorabili tempore, inferuissse. *Galenus*, quo volumine alimentorum facultates enarrat, ita de ficubus: *Quum omnes, inquit, autumnales fructus exiguum corpori præbeant alimentum, id omnium minime ficubus vñu venit: & quando, non multis interiectis, de vñis sermonem instituit, ficuum memoriam reuocat, & vtrumque fructum nutriendi quidem facultate coniungit, sic tamen vt primas ficubus tribuat. Quod, inquit, nutriant, maximo argumento sunt ii, qui vinearum fructum custodiunt, qui, cum duos menses solis vñis ac ficubus, quorum custodia præsumt, vescantur, nisi forte panis quippiam cum illis addant, corpulenti tamen admodum fiunt.*

§. XXX. Non autem solum homini præstant hunc vñum, sed animalia etiam eundem experiuntur. Italicae deliciae sunt ficedulae, ab ficuum esu nomen adeptæ, hodie *beccasigi* vocant, quas eo maxime tempore in dapes expetunt, quando, maturis ficubus & vñis multum ingurgitatis, pinguiissimæ sunt redditæ. Horum forte exemplo didicerunt veteres in domesticis etiam animalibus hanc faginam adhibere. Et feliciter sane res cessit in anseribus & porcellis, quibus in cibum datæ caricæ, tantopere veteribus expetita iecora, stupendæ magnitudinis, non postremas delicatiorum dapes, progenerarunt. De auferibus *Plinius*: a] *Nostri eos iecoris bonitate*

a] *H. N. lib. X. cap. XXII.*

te nouere. *Fartilibus in magnam amplitudinem excrescit, exemptum quoque lacte mulso augetur. Nec sine causa in questione est, quis primus tantum bonum inuenerit.* Nos vero tanto boni inuentorem non quærimus, sed vnde constet ficubus eos esse saginatos? Docet illud *Horatius Flaccus*: a]

Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi.

Iecinorum autem horum magnitudinem *Martialis* b] admiratus ita loquitur:

Adspice quam tumeat magno iecur ansere maius

Miratus dices, hoc, rogo, creuit ubi?

Quo vero pretio olim sit habitum, *Iuuenalis* c] docet, quando hominem sordidum simul & sumtuosum reprehendit, qui in cœnam vocatis fodalibus viliora destinarat, quum esset.

*Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par,
Altilis.*

§. XXXI. Sed de porcis etiam dictum est, quod honos habitus eorum iecoribus sit. d] *Apicius* auctor est fycotum seu ficatum, inter delicatissimas epulas habitum, esse iecur suis fico saginatae. Cum *Apicio* plane consentit *Galenus* e] qui nec a laude ficati abstinet, nec dissimulat hoc maxime fieri in suis. Non autem de solo suis hepate id nomen esse acceptum, sed aliis quoque attributum, *Cl. Salmasius* nos docet, cum Græcorum exemplo, apud quos posteriori ævo omne hepar συκωλὸν vocabatur, adeo vt aloen, quam prisce ἡπατῖτα dixerant, optimam designaturi, posteriores συκωλὴν vocarent: (quod cum ignorarent recentiores quidam fycotrinam ab insula Sucotra appellatam contenderunt, immo diuersam ab epatica speciem commenti sunt); tum etiam Gallorum suorum, quibus foye hepar dicitur, quod a ficato esse credidit. Itali etiam ex eadem ratione hepar hodie fe-

D

ga-

a] *Serm. II. Sat. 8. v.*

b] *Libr. XIII. epigr. 58.*

c] *Satir. V, 114.*

d] *de re culin. l. VII. c. 3.*

e] *de alim. fac. III. cap. 12.*

gato appellant. Quare autem iecinora his animalibus in tantam excrescant molem; inferius dicendi locus commodior forte recurret.

§. XXXII. Videndum iam est de caseo, quem inter cibos athletarum non immerito relatum esse, multa mihi persuadent. Prius autem videndum est, quale concretum prisci homines caseum dixerint. Quo enim in nostris regionibus modo caseum conficimus, ut lactis pinguitudinem seu florem primo demamus, & deinde illud coagulum, quod subest, in caseum, expressa vel sensim effluxa humiditate, & exsiccatione moderata præparemus: ille prorsus antiquis temporibus, forte etiam hodie, in Græcia & Italia incognitus, ac merum fortasse Germanorum est inuentum, de quo pluribus & erudite, pro suo more, alicubi disputavit *Hermannus Conringius*. a] De Græcanico caseo dicere non possum, quæ enim apud *Galenum* lego, in dubium reuocari posse videntur, utrum ad Romanum potius an ad Græcum morem, illa scribens, respexerit; puto tamen eius parandi rationem parum ab Italica, quam breuibus attingam, esse diuersam. Hi nempe non expectabant floris a crassiori parte separationem, quo non indigebant, quum butyri in cibis usum sero tandem a Germanis quidem didicerint fama, vix tamen in usum, etiam hodie, admittant, quoniam de oleo præstantissimo ipsis abunde prospectum est: sed lac, coagulo quodam adhibito, condensabant, sicque cum pingui & butyrosa parte simul in caseum, premendo siccandoque, redigebant, quæ ratio apud Frisios, Batauos & Rhætos hodieque obtinet.

§. XXXIII. Eius generis caseus, recens pressus, intelligitur in cibo athletarum fuisse, quod adiectæ voces declarant apud *Diog.* quidem *Laertium* ὕγρῳς apud *Pausaniam* vero ἐκ γαλακτῶν, quod, ut *Kuhnii* in notis admonet, caseum recentem significat, γαλακτός enim, ut a Polluce in *Onomastico* redditur, est ἀγλαῖον, ἐν ᾧ ὁ χλωρὸς τυρὸς ἐμπήγνυται, vasculum

a] de hab. corp. Germ. causs. p. 73.

lum, in quo caseus recens premitur. Illi autem vim inesse magnopere alendi, vel ex lactis indole colligitur, quo præstantius alendo animali nihil natura excogitare potuit, quippe lac plane ἀδελφὸν καὶ συγγενές sanguini est nutrimentum, & in illum facillime transit. Quod cum maioribus nostris inter præcipua alimenta olim fuerit, hodieque in Heluetia multis unicum fere sit alimentum: quid mirum magnitudine & robore hinc admirabiles fuisse? De hoc autem plura volens adcat magnum *Conringium*, pulcherrimo libro quem *de habitus corporum Germanicorum causis in publicum* edidit. Verum hic nobis dubium haud leue sane iniicit magnus *Hippocrates*, a] qui de caseo minus, quam nos, præclare sentire videtur: τυρός, inquit, φύσαν ἐμποιέει, καὶ στεγνότηθα, καὶ σιτίων ἑξαψιν ποιήσκει, τό τ' ὤμὸν καὶ ἀπεπλον. Sed saluus est caseus per commentatorem *Galenum*, qui has accusationes in veterem restringit, recentem vero mitiorem declarat. Ne vero dubitemus de constanti sententia, eadem in libro repetit, quem de alimentorum facultatibus conscripsit.

§. XXXIV. Venimus ad tertium, quod in cibis athletarum priorum refertur, nempe triticum. Non quidem adiectum illo loco est, qua ratione in alimentum illis hominibus cesserit; non tamen putandum crudo illo & tantum aqua elixo cum sale esse vesci solitos, quamvis hoc cibi genus non incognitum veteribus fuit, quod ex *Galeno* b] qui eius ipse experimentum ceperat, accusante & improbante licet cognoscere: sed potius putarim, quando nudum nomen hic ponitur, ex eo paratorum panum communissimam speciem esse intelligendam, quam frequenter antiqui nominant, optime autem omnium exponit *Galenus*. c] Ea vero est illa panum ex tritico confectorum species quam dicebant ἀνθραπύρους, quod ὅλος ἀνθρῶς ὁ πυρὸς id est totum ipsum triticum, nulla parte eius deincta, in panificium cedat. Medici veteres

D 2

ipsos

a] de victu acut. §. 49. & Galen. comment. in h. l.

b] de aliment. facult. lib. I. c. 7.

c] de aliment. facult. lib. I. cap. 2.

ipſos vocarunt *συγκομισους*, quod ad ipſos conficiendos tota farina, nuſquam a furfure ſeiuncta, *συγκομιζεſαι*, confer-
tur, fermento modico ſubigenda & in fornace mediocriter
percoquenda. Talem enim ſpeciem pro athletis antiqui
maxime probabant, quod optimum quidem, ſed craſſiorem
ſuccum præbere credebatur. In triticeo vero hoc pane fermen-
tum & furfures optimo conſilio addi intelligas ex iis, quæ *Si-
mon Paulli* a] de panibus in vniuerſum docet, & quæ ſingu-
lari *programme de pane Weſtphalorum groſſiori*, ſcripſit Ex-
cell. Dom. Præſes, præceptor vereque patronus immortalis
gratia demerendus. Sed de pane athletarum iterum dicendi
occurreret locus.

§. XXXV. Vidimus ſimpliciſſimum victum eorum, qui
primi ad habitum athleticum exercebantur. In quo, puto
equidem, illud quibuſdam videbitur reprehendendum, quod
dulcibus, vt caricæ ſunt, vehementer nutriendi facultas fue-
rit tributa, quum nulla ſit dulcibus, vtpote ſal ſui generis ha-
bentibus, qui in cryſtallos abit & in aqua facile ſoluitur, cum
textura chyli noſtri conuenientia. Enimuero, vtut rectiſſi-
me hæc præcipiuntur, caricis tamen, vuis, dactylis & id ge-
nus aliis, in quibus admodum moderata dulcedo hæc gluti-
noſis ſuccis immerſa, & coniuncta eſt, parum obſunt, præ-
ſertim quum aliis, in cibo adiunctis, magis obtundatur hæc a-
crimonia dulcis ſalina, præcipue autem caſeo molli, ad la-
ctis indolem proxime accedenti. Quin etiam dulcedo talis,
guſtui obuia, adeo non excludenda abſolute a corporis noſtri
laudabili nutrimento videtur, quum per artem videamus ex
lacte ſaccharo ſimile concretum parari, cui propterea ſaccha-
ri lactis nomen in quibuſdam officinis tribuitur. Ipſum
quoque ſaccharum, ſi recte vtariſ, non eſt corpori inimi-
cum, & ſanguinis noſtri indolem aliquam habet, quia igni
admotum, non aliter quam ſanguis exſiccatus, ardet. Quod
quidem *Beccheri* b] argumentum non penitus meum faciam;

vi-

a] *Quadrip. Botanic. pag. 537.*

b] *Pſychoph. p. 251.*

deatur ipse, qua ratione saccharum commendet, tamquam naturæ commodissimum, & alimentum sanguini conueniens.

§. XXXVI. Antequam ad recentiorum athletarum transeamus victum, aliqua sunt, quæ considerationem nostram mereri videntur. Et primo quidem dispiciendum nobis est, sit ne hæc illa athletarum *Ξεροφαγία*, quam auctores nobis commemorant. Equidem fateor studiose multumque inquirendo de vi huius vocis, & rei significatæ vera conditione, nusquam expiscari me potuisse, quod implicatam huius vocis notionem plene potuerit euoluere & ad nostros athletas accommodare. Nullam aut *Hippocrates* aut *Galenus*, quod mihi quidem constet, lucem hic adfert, nec adeo vel *Foesius* vel *Gorræus* consulti respondere potuerunt. Lexicographi, quorum maxime mihi hic placuit *Rob. Constantinus*, ipse scilicet professione medicus, *Ξεροφαγίαν* exponunt, vt duplicem sensum habeat, & non minus arida & sicca epulari, quam comedere, quæ ficcandi vim habeant, designet. *Tertullianus* autem laudatur auctor huius vocis, qui idem Latine *aridam saginationem* alio loco exposuit, agens, vt ex *Petro Fabro* a] colligere possum, de athletis; ipse autem *Faber* de eo exponit, quod coliphio & carnibus assis pasti fuerint, non vero elixis. Quid igitur vetat, si de alimentorum tantum genere sermo est, hanc saginationem ficcæ nomine potissimum intelligere.

§. XXXVII. Maxime autem xerophagia celebrari inter Christianos cœpit, adeoque posteriori potissimum æuo innotuit res cum nomine, & ad nos nihil proprie pertinet. In vniuersum illud notandum, a gymnastica paganorum vita, ad asceticam Christianorum, multa vocabula & dicendi modos esse translatos, in quibus cauere debet, ne quid in alterutram partem confundamus. Quid vero Christianorum ritu xerophagia fuerit, expositum videas in *B. Christoph. Cellarii Thesouro Fabri*, tertiis curis recognito. Nimirum prorsus aduersatur nostrorum athletarum instituto, qui impleri quam maxime quære-

bant, quum Christianis designet aliquam abstinentiæ speciem, qua sperabant id obtinere, vt ne nimium saginatus venter animo officeret, aut, vt dulcissimi poetæ a] Christiani verbis loquar:

Aruina putrem ne resudans crapulam

Obstrangulatæ mentis ingenium premat.

Quod autem *Saubertus*, quem illo loco citat, Xerophagiam athletarum ita exponit, quasi eas animalium partes selegerint, quæ siccæ essent, vt pedes bubulos, non quæ succi plenæ & pingues; nulla auctoritate puto posse probari de veteribus gentilium athleticis: quod autem addit carnibus & pulpis vesci solitos esse atque condimentis & iusculis, prorsus (nisi de carne assa) veritati rei repugnat, & puto excidisse ibi in describendo negandi particulam. In Christianorum vero ascetas quosdam quadrare priora hæc facilius admitto, quia memini alicubi b] me legere, in Hispania, mediterraneis præsertim locis, vbi piscium est inopia, diebus illis, quibus a carnibus abstinencia, Romanæ ecclesiæ decretis, iniuncta est, antiquo ritu in cibum venire animalium capita, pedes & viscera, quoniam hæ partes minus nutrire putantur, adeoque a *Ioanne Caramuele* piscium moralium nomine fuerunt insignitæ.

§. XXXIIX. Deinde circumspiciendum etiam de potu esset. Nullibi autem memini me legere, qualis ille antiquissimis fuerit, nec satis de recentioribus illud constat, quare, quantum eius inuestigando scire licuit, ad illum locum omne referuamus, quo ordine de illo sermo erit instituendus. Ante vero quam ad eos progrediamur, quærere liceat, quare antiquum morem deseruerint athletæ & ad alium victum profiluerint. Rationem videor ex *Galeno* haurire, quem audimus. Is vero, quum, loco superius adducto, de ficubus, quod copiose nutriant, docuisset, mox subdit: *carnem tamen non compactam neque firmam generant, ceu panis & suilla, sed* subla-

a] *Prudentii Cathemerin. VI. v. 9. 10.*

b] *P. Antonii Zucchelli descriptio itineris, in Congo Aethiopum suscepti. relat. III. §. 4.*

sublaxam ac subinanem, ut fabæ. οὐ μὲν ἐσθρῦμένην καὶ σερραὶν
ἀλλὰ ὑπόστροφον. Quum vero hi homines quam firmissimam
desiderarent, ratio facile patet, quare ad ea transierint, quæ
talem possent producere.

§. XXXVIII. Progredimur ad dietam recentiore,
quæ, siue medice rem æstimes, siue ad regulas Christianæ
pietatis & sanæ rationis rem exigas, priori, quam recensui-
mus, longe deterior reprehenditur. Sed considerabimus
prius ea, quæ in cibum expetierint, tum quoque videbimus
quo modo, qua mensura, quibusque legibus. Antea dictum
quis ad carnes athletas traduxerit. Ceteri itaque, quos simi-
le studium tenebat, illum videntur imitati, in carniū esum,
vnanimi consensu, iuisse. Vtrum vero priorem prorsus re-
liquerint victum, an potius carniū esum prioribus adiunxe-
rint, non ausim dicere; puto tamen eos retinuisse priora &
addidisse carniū voracitatem. In vniuersum illud æstiman-
tibus nobis, non credo aliquem vitio daturum, si asseramus
prudenter eos in hoc fecisse, quod ad eum, quem intende-
bant finem, carnes adsumserint. Etenim illud extra contro-
uersiam puto esse positum, carnes ad nutriendum humana
corpora multo esse aptiores, quam quæuis alia, quæ ex vege-
tabilibus aliquis in cibum expetat. Ea enim est partium, ex
animalibus sumtarum conditio, vt longe elaboratiorem dent
succum & illam naturam iam indeptum, quæ nostræ est si-
millima: quum vegetabilia longe sint crudiora & terrestribus,
ac chylo prorsus ineptis, pluribus sociata. Hanc rationem
intuitus *Hermannus Conringius* inter præcipuas causas proceri-
tatis in proavis nostris, etiam hanc retulit, quod multis carni-
bus vsi in cibo fuerint.

§. XXXX. Inter carnes autem eas tantum seligebant,
quas vsus maxime probaret esse nutriendo aptissimas. Pauci
memorantur alia, quam fuilla, vesci soliti, quos primos attin-
gemus. *Athenæus* a] igitur Thebanialicuius mentionem fa-
cit, qui caprarum carne vescebatur, idque de eo confirmat,
quod

a] *Deipnosoph. lib. X. c. ii. p. 413. seqq.*

quod robore omnibus fuerit superior, sed nidorem de se talem sparserit, hircum redolentem, ut ceteris fuerit omnibus abominabilis. Milonem etiam Crotoniatam bubulam in cibum fumfisse, superius dictum est.

§. XLI. Vtraque caro veteribus male audit. *Hippocrates* a] de bubulis carnibus grauiter pronunciat: ἀνυπέβλητος ἡ φύσις βοείων κρεῶν καὶ οὐ τῆς τυχούσης κοιλῆς καταπέψαι. *insuperabilis sunt naturæ & non est cuiusvis ventriculi eas concoquere.* Idem pro caprinis fere molestius pronunciat. Αἴγεια δὲ κρέα ξυμφορώτερα, πλὴν ὅσα τε βοείοισιν ἐνὶ κακὰ, πάντα ἔχει: *Peiores sunt caprarum carnes, quin illas noxas, quæ in bubulis sunt, omnes etiam inferunt.* Has autem omnes ordine recenset, nec opus est huc transcribere. Nolumus autem tanti doctoris accuratius examinare sententiam, aut codicum, hac eadem pagina mirum in modum a se variorum, fidem labefactare: forte tamen minus concoquetur, quod de bubula audentius pronunciauit, & ex hoc carniū genere eas maxime probauit, quæ sunt ὡς παλαιότατα, *quam vetustissima.*

§. XLII. Nec prorsus negligenda videtur foetoris in Thebano athleta ratio. Longe minus enim medico, circa ea occupato, quæ corpori humano accidunt, turpe est lucro scientiæ & artis ex re vili & contemta inhiare, quam Romano Imperatori fuit, ex obsceno liquore hominum, opes & aurum corradere. Dubium autem non est illud, quod oluit, virus, ex cutis perspiraculis prorupisse, quando effluentibus ex corpore tenuioribus partibus homini incumbens aër perfusus est. Incredibilem autem copiam humoris in tam subtiles partes, ut sensum effugere fere soleant, attenuati, continuo exspirare, nolo ex *Sanctorio* repetere. Illud tantum dicam, non meram esse humiditatem, sed in tanta subtilitate sua etiam particulis imbutam, quæ sanguinis nostri qualitates quasdam sensibus imprimere possint. Canes, quos natura nobis sagaciores in hac parte fecit & olfactu teneriori prædi-

tos

ros, dum heri longe absentis personam requirunt, aut feram in quam mittuntur, inuestigant, hoc præcipue feruntur duce & indice. Hoc, ut perpetuum esse dicas, illud tamen singulare est a certis adsumtis mirum mutari & augeri illam expirationem, ut odore manifestius deprehendi possit. Qui enim allium aut cepas comederunt, dissimulare factum suum nequeunt, si maxime velint, præsertim cum motus paullo vehementior, aliquot ab cibi tempore horis, sanguinem in celeriores cursum concitauerit; non enim solum ex pulmonibus rediens spiritus assumpta olet; (si maxime os eluerint & nihil eructauerint) sed fudor, qui toto corpore erumpit, eodem nidore indusia complet, & vrina manifesto odore illo nares ferit. Idem accidit forte plerisque carne veruecina pastis. In vaccarum etiam lacte, & ex hoc confecto butyro, gustus deprehendere valet si forte illis inter pabula pratis non infrequens allium obtigerit. Ex quo id mihi quidem videtur consequi, illos succos, quos natura soluendis digerendisque cibis in ventriculo, duodeno, aliisque intestinis affundit, etiam in sanissimis, ita non valere, ut omni manifesta qualitate, quam extra corpus habebant, omnia in corpus assumpta, priuare possint & exuere, sed aliqua omnino dari, quæ illorum vim in hac parte eludant, & suas qualitates in ipsum chylum & sanguinem transmittant.

§. XLIII. Sed in viam e leui diuerticulo redeamus, & suillam carnem, athleticis quasi proprium alimentum, expendamus. *Galenus*, ubi tertium de facultatibus alimentorum orditur librum, ita inquit: *Carnes, quum probe concoctæ fuerint, optimum gignunt sanguinem, & potissimum si animalium boni succi fuerint, cuiusmodi est suum genus. Omnium itaque ciborum suum caro potentissime nutrit: cuius rei athleticæ certissimum tibi præbent indicium. Si enim, paribus exercitationibus, parem molem alterius cibi diem unam comederint, postero die statim sentient sese redditos imbecilliores. Quod si pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modo, verum etiam alimenti penuria macilentiores palam conspiciuntur. Idem etiam de eo, quod dicimus, potes in pueris, qui in palestra sese*

se exercent, experiri, & in aliis, qui quamlibet actionem fortem ac vehementem, cuiusmodi est fodientium, obeunt. Pluribus Galeni adducendis locis abstinere, sed consensum Hippocratis, a] liceat adiungere. Porcinæ, inquit, carnes, (χοίρεια) prauæ sunt, quum fuerint crudæ aut ambustæ: suillæ autem (ὕεια) sunt optimæ omnium carniū, sed præstant ex his, quæ non vehementer pingues sunt, cetera. Vbi primo paullisper immorari liceat verbis. Turbant enim hic codices & Lindenius nobis legendum exhibet ὀεία, quod ouillas designat, quamuis versio, (vt sollemne est in hac editione a verbis Græcis discrepare Latina) suillam exhibeat. Siue igitur mendum sit, siue corrigere hic aliquid editor voluerit; Galeno teste, nihil hic mutandum statuo: nam χοῖρον ἐξαιρέτως ὠνόμαζον οἱ παλαιοὶ τὸν μικρὸν λίαν, τοὺς συάλους, τοὺς ὑπὲρ τοὺς τελείους ὠνόμαζον. χοῖρον veteres maxime vocabant admodum paruulum porcum, qui vero perfectam ætatem superassent, σύαλοι vocabantur; relinquitur igitur vt ὕες, quorum caro laudatur, sint, qui in medio consisterent neque ætatem veteris victimæ haberent.

§. XLIV. De modo vtendi etiam dicendum est. Athletæ autem non adhibebant facile has carnes elixas, verum assis adfueuerant. b] Rationem, qua inducti assa elixis prætulerint, reddit Galenus c] ὅσα μὲν γὰρ ὀπτῶντες ἢ τηγανίζοντες ἐδίδουσι, ξηροτέραν τροφήν διδόασιν τῷ σώματι: assata aut in sartagine frixa siccius dant corpori alimentum, de iis autem, quæ in aqua decoquuntur, humidius sibi alimentum promittebant.

§. XLV. Si omnem antiquitatem excutias, inuenies sane assatis maiorem semper habitum fuisse honorem, quam elixis. Homerus heroum epulas describens, assis eas instruit. Germanos nostros assatis carnibus frequentissime se, fatu-

a] de victu acut. §. 60.

b] Petr. Faber agon. lib. III. cap. III.

c] de alim. facult. tertio ineunte.

turasse *Conringius* a] addocet. Ratio non solum ex eo petitur, quod faciliori apparatu possint in usum confici: sed medice etiam nobis rem considerantibus, apparet, longiori coctione, præcipuam vim nutriendi in aquam, coquendo adhibendam, ex carnibus, præsertim in frusta minutiora concisis, transire debere, utpote partes mucilaginoso-pingues facile in illam migrant, remanente ut plurimum fere effoeta, aut minus saltem nutriendo apta. Quod videmus ubi aqua, inter elixandum adhibita, refrigerat; facile enim gelatinosam consistentiam induit. Sed secus fit ubi assantur carnes, remanet ibi gelatinosa pars interius conclusa, & paucum illud, quod exstillat, saniosum, in pulcerrimam concrevit gelatinam, alendo corpori, si quicquam aliud, idoneam. Quare iis, qui maxime nutriendi alimentum sub minima mole expetunt, apparet commodissimum esse assis uti carnibus.

§. XLVI. Verum athletæ in eo singularem coenam habebant, quod coacti, tum alia, tum carnes, & ad certam mensuram, quantam scilicet quisque capere posset maximam, deuorare debuerint. Et hæc est notissima illa ἀναγκοφαγία, quam gymnastæ seu epistatæ imperabant, & unicuique præscribebant. De ea *Epictetum*, superius citatum, porro audiamus loquentem: θέλεις ὀλύμπια νικῆσαι; δεῖ σε ἐυτακτεῖν, ἀναγκοφροῦν, ἀπέχεσθαι περμμάτων, ἀπλῶς, ὡς ἰατρῶ παραδεδοκέναι σεαυτὸν τῷ ἐπιστάτῃ. *Vis olympia vincere? - debes strictum ordinem obseruare, coactus edere, abstinere coctis edulis - teque simpliciter magistro, tamquam medico, tradere.* Sed *Galenus* b] pluribus locis clarissime hæc indicat. οἱ ἀθληταί, inquit, τροφὰς προσφέρουσι σὺν ἀνάγκῃ, πολλάκις ἄχρι μέσων νυκτῶν ἐκτείνοντες τὴν ἐδωδὴν. *Athletæ coguntur edere, & sæpe in medias noctes coenam protrahunt.* Paulo post suis proinde similes pronunciat tam miseros homines, aut suis in hoc multo peiores, quoniam hæc bruta nemo ad nimios labores, nemo ad nimium deuorandum compellit. Ne quis autem

a] de habitus corp. Germ. c. pag. 76.

b] *Suasoria ad artes oratione.*

rem nimis recentem putet, antiquiora afferemus duo testimonia. Audiatur itaque *Hippocrates* s. *Polybus*, quisquis eorum est vetus auctor libri *de salubri dieta*, vbi hæc verba legimus: ὁπόταν ἀναγκάζῃας ὁ ἄνθρωπος κρηφαγεῖν, quo loco commentator *Galenus* innuit athletas hic esse intelligendos. *Aristoteles* similiter in politicis libris τὴν βίαιον τροφήν καὶ τοὺς πρὸς ἀνάγκην πόνους, itemque τοὺς πόνους καὶ τὴν ἀναγκοφαγίαν (quæ duo fere semper coniungi ab auctoribus solent,) commemorat, & de iis disputat, vtrum & quando pueri in gymnasia ad hæc traduci debeant. Pluribus testimoniis opus non esse arbitror, plena enim eorum sunt omnia veterum monumenta, vt non facile lector in his versatus ea ignorare possit.

§. XLVII. Enarrauimus potissima, quæ in alimentis athletarum expetebantur. Equidem nullus dubito, pauca his quædam ex iis, quibus antiqui tribuebant siccandi facultatem, forte adiecta fuisse; sed clara me destituunt veterum testimonia, sine quibus loqui in re, quæ historiarum fidem supponit, nefas existimo. Sed redit in memoriam, abruptum superius fuisse de pane sermonem, quem heic pertexere iuuabit. Nimirum recentioribus scriptoribus Latinis non adeo rara est mentio coliphiorum; a Græcis, quod ego sciam, nullibi commemorantur, quum tot aliæ panis species ab Hippocrate & Galeno celebrentur suis nominibus. Hanc vocem docti viri Græcæ originis putarunt, ab κῶλον, *membrum* & ἰσχυρ, *robur* deriuatam; sed magnopere vereor, vt iis acciderit, quod etymologis in infinitis fere solet, vt verosimile confectati sint, verum non attigerint. Ego mihi vix persuadeo Græcam esse vocem, quum præter *Martialem*, *Iuuenalem*, Latinosque alios non reperiam, qui ea sit vsus. Quicquid sit de origine eius; nec illud satis constat, an vox hæc panem solum significet athletarum, an integrum eorum victum, aut determinatam victus portionem. Auget & fouet hoc dubium *Petrus Faber*, a] qui ita, quamuis præter fere mo-

a] *agonist. libr. III. cap. 3.*

morem suum, sine auctore scripsit: *Pythagoras* (de quo supra) *panes ἀζύμους & assas carnes comedere athletas docuit, quæ coliphia vocabantur.*

§. XLIX. Sed esto de coliphiis iam fatis, quia certum de eo afferre quicquam nequimus, an vero illud recte dicit magnus vir, in cibo athletarum fuisse panes ἀζύμους? Equidem pernego, quum *Galenus*, a] harum rerum, si quis alius, inprimis gnarus, aliud me doceat. De panibus quidem sine fermento ita exponit, ut intelligas esse illos sic confectos, ut aliquid casei adderetur. Rusticos autem festis diebus solitos fuisse eos apparare. Si bonitatem scire desideras ita illos commendat: *eiusmodi panibus promte omnes læduntur, etiam si qui fortissimo sunt corporis habitu, cuiusmodi sunt messorum ac fossorum robustissimi.* Eodem loco athletarum panem sic nobis tradit: *panum is athletæ quidem est accommodus, qui neque bellissime est assatus, neque multum habet fermenti; privato autem & semi, qui bellissime quidem in clibano est assatus, fermenti autem habet multum.* Ita quidem de fermento, at modico, obtinebimus: sed nunc Hippocrati *Galenus* erit contrarius. Ille enim, de *salubri diætâ* libello, ubi in eos incidit, qui in gymnasiis exercentur, ita scribit: ἔσω τούτοις τὰ σίλια ἀγ-
τος ὡς ἐξοπλότητος ἐν οἴῳ ἐντεθρυμμένους. *Sint his cibi, panis quam bellissime assatus, cet.* Sed constat de eorum pace, si animaduertamus illo loco sermonem Hippocrati esse de athleta minus bene affecto, aluique profluuiis correpto.

§. XLIX. Ne quis vero miretur, cur in fermenti additione & coctione tam curiosos se præbuerint priscae medicinae antistites, audiamus *Hippocratem* causam hanc exponentem: αὐτῶν τῶν ἀγίων, ὁ μὲν ζυμίτης κοῦφος ἢ διαχωρεῖ. ὁ δὲ ἀζύμος διαχωρεῖ μὲν ἥσσον, τρέφει δὲ μᾶλλον. *Fermentatus levis est & facile secedit; non fermentatus secedit quidem minus, magis autem nutrit.* Medium itaque inter hæc tenere panis debuit athletarum, ut & multum nutrimenti suppeditaret, nec tamen cito nimis, emulsa breuiori tempo-

re nutritiua parte, in fæces fatisceret & extra corpus, natura sic impellente, proiiceretur: aut, si tu id mauis, ne alimentum sanguini hinc adiectum aucta celerique circulatione nimis cito attritum & in ferum inutile fatiscens, per cutis poros expellatur.

§. L. *Galenus* a] in hanc rem clarum testimonium supra iam totum retulimus, hic autem repetere superuacuum putamus. Ex eodem b] itaque aliud potius attingemus dictum, quo nos docet de gladiatoribus, quos superius diximus breuiori fere via ad habitum corporis diffusum & artis perfectionem esse ductos, quam ceteros athletas. *Ἐκ κνύμων ἐστὶ τις σκευασία, μετὰ πλίσσάνης γιγνομένη. Καὶ πλείω γε τοῦτω τῷ ἐδέσματι καθ' ἑκάστην ἡμέραν οἱ παρ' ἡμῖν μονομάχοι χερῶνται, σαρκούνης τὴν τοῦ σώματος ἔξιν οὐκ ἐσφιγμένην τε καὶ πυκνὴν σαρκί, καθάπερ τὸ χοίρειον κρέας, ἀλλὰ χαυνοῖερα πῶς μάλλον.* h. e. *Ex fabis paratur aliquod cum ptisana edulium. Hoc quotidie multum sumunt gladiatores nostri, qui corporis habitum carnosum reddunt, non carne solida & compacta, qualis suilla, sed multo laxiori.* Fabæ alias non optime audiunt veteribus; Pythagoras earum esu interdixit penitus; *Galenus* autem, qui talium gladiatorum medicus, & ipse athleticis studiis deditus fuit, fidem merebitur de earum facultate ita scribens: *qui animum attendunt, easque corporis dispositiones, quæ singulos cibos subsequi solent, obseruant, sentiunt in toto corpore, velut a spiritu flatulento, tensionem quandam, potissimum si quis huic cibo non est adsuetus, aut ipsum non belle percoctum sumpserit.*

§. LI. Vidimus cibos athletarum: nunc audiamus etiam, quam pulcris sermonibus & confabulationibus condire eos soliti fuerint. Quid autem ab hominibus, in vilissima sui parte occupatis, expectari possit, per se quisque intelliget, sed *Plutarchi*, illorum temporum scriptoris, testimonio plenius constabit. Is vero, *de sanitate tuenda* pulcro li-

a] vide §. 24.

b] *de facult. alim. libr. I. cap. 19.*

libello, hæc habet: Ἀλειπῶν δὲ Φωνὰς καὶ παιδοῖσι βῶν λόγους, ἐκάσθῃ λεγόντων, ὡς τὸ παρὰ δεῖπνον φιλολογεῖν τὴν ἱεροφάνη διαφθείρει, καὶ βαρύνει τὴν κεφαλὴν, τότε φοβητέον, ὅταν τὸν Ἰνδὸν ἀναλύειν ἢ διαλέγεσθαι περὶ τῆς κυριεύουσης ἐν δεῖπνῳ μέλλωμεν.

Aliptarum vero voces & paedotribarum crebros sermones, quibus subinde inculcant cibum corrumpi & caput grauari, si quis inter coenandum eruditos sermones misceat, tunc extimescamus, quum dialecticas tricas, in cæna euoluendas, aggressi fuerimus. Nam, ita pergit, dialectica in coena bellarium est minus dulce, sed quæ vehementes capitis dolores & lassitudines possit inducere. Quod si isti nihil etiam aliud sub coenam quærere ac philosophari nobis permittunt, de iis rebus, quæ pulcræ iuxta sunt & utilem præbent oblectationem; iubebimus ut molestiam nobis facessere desinant, inque Xysto & palæstris apud athletas disputent, quos, a libris abalienatos, totos dies facetiis ac scurrilibus iocis exigere adsuefaciunt, &, ut scite Aristo dixit, similes columnarum in gymnasio, nitidos scilicet lapideosque fecerunt. O miseros homines, quorum corpora in fagina sunt, animi autem in macie ac veterno.

§. LII. De potu athletarum, quantum ex fide dignis scriptoribus accepi, nunc est subiiciendum. Galenus loquitur: *Athletæ non ita statim ab exercitationibus vinum bibunt, sed aquam prius, experientia sic edocti.* Aquam igitur biberunt, eamque ab exercitationibus adhuc calentes, primo calidam, inde frigidam & tandem vinum, sæpe etiam vinum aqua temperatum. In quo nihil est, quod non optimo consilio institutum fuerit. Aqua enim diluendis in ventriculo cibis est conuenientissima; bene quoque id factum, quod frigida abstinerint, dum corpus caluit: præsentissimam enim hoc inducit noxam; nec hoc male, quod, extra hoc periculum positi, frigidam sumserunt; calidæ enim præferenda est frigida, si modum non excedat; quippe & nos experientia nouimus, multum ingurgitatam calidam ventriculum totumque corpus eneruare. Vinum itaque considerandum nobis solum restat. Si *Horatium* audimus, abstinendum a vino & venere fuit, quo loco tamen non plus puto di-

dici, quam certis corporibus, certo tempore vino fuisse interdictum. Et illis quidem, qui ad iustam staturam & longitudinem nondum peruenerant, parcus eo aut plane non licuisse uti: ita enim videtur intelligi velle poeta, quum puerum dicit, hoc est ad pubertatis annos iam accedentem: nisi enim hunc vellet, non opus fuisset de venere mentionem iniicere. Nec tamen hos rigide adeo obseruasse abstinentiam a vino, Arati apud *Plutarchum* a] docet exemplum: neque reliquos vini caruisse vsu, medicorum præcepta confirmant. Quo autem genere vini vsi sint, non facile indicauerim, nec credo multum referre, si quis hæc sollicitius ex antiquis velit exsculpere.

§. LIII. Vini tamen vsus, posterioribus Romæ temporibus, vbi luxuriantes adeo etiam feminæ gymnasia subibant, admodum copiosum & immoderatum, & a coena præcipue largius perpotatum fuisse, facile ex *Seneca*, *Martiali*, *Iuuenali* que possem probare, si hoc ad ordinariam diætam pertinere arbitrarer & non potius incredibili hominum libidini peruersitatique tribuerem; sed iterum hæc attingenda erunt, quando ad vomitiones athletarum fuerit peruentum.

§. LIV. Non immerito aliquis quærat, quodnam tempus cibo sumendo destinatum fuerit, & an diuerso tempore eadem assumere debuerint. *Galenus* b] adnotat ciborum varietatem nocentissimam esse: subdit: φυλάττονται δὲ αὐτὸ μάλιστα καὶ οἱ γυμνασταί. Καὶ οἱ γε νομίμως ἀθλοῦντες, ἐπὶ μὲν τοῦ ἀρίστου τὸν ἄριστον μόνον ἐσθίουσιν, ἐπὶ δὲ τοῦ δείπνου τὸ κρέας. *Observant id maxime gymnasiorum præfecti: ii saltem, qui ad leges athleticas recte viuunt, in prandio panem solum comedunt, carnem autem in coena assumunt.* Vides prandium & coenam commemorari, diuerso modo instructum, illud quidem frugale, alterum lautius, in quo τροφὰς προσφέρουσαι σὺν ἀνάγκῃ, πολλάκις ἄχρει μέσων νυκτῶν ἐκτείνουσαι τὴν ἐσθλὴν. *Coacti vorant, sæpeque ad medias noctes alimenta ingerunt.* Ientaculum autem non sumserunt, ἥνικα γὰρ οἱ κατὰ φύσιν βι-
οῦντες

a] tom. I. pag. 1028. b] de victu acutor. com. I. §. 18.

οὐντες ἀπὸ τῶν ἔργων ἔχουσιν, ἐδεσμάτων δέομενοι, τὴν καὶ οὗτοι
 διανίστανται τῶν ὑπνῶν. *Quando enim homines, ad naturæ du-
 ctum viuentes, a laboribus cessant tantisper donec cibis se recre-
 auerint* (h. e. circa prandii tempus) *tunc demum hi a somno
 resurgunt* a] *Elegantissimus poetarum Christianorum, Pru-
 dentius, hos homines, aut horum mores proxime sequutos,
 videtur innuere, pulcerrimo carmine in luxuriæ & sobrie-
 tatis pugnam conscripto. b]* Ita enim luxuriam nobis sistit
 ad prælium prodeuntem:

*Ac tunc peruigilem ructabat marcida cœnam,
 Sub lucem quia forte iacens ad fercula, raucos
 Audierat lituos, atque inde, tepentia linquens
 Pocula, lapsanti per vina & balsama gressu
 Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.*

Longa enim & in noctem producta coena, somnus in mul-
 tam diem protractus, a somno tepida pocula ad vomitum ci-
 endum & post vomitum vino repleri: omnia sunt γυνσίως
 athletica.

§. LV. Sponte ad somnum eorum considerandum ser-
 mo decurrit, ante vero quam illum penitus exponamus, quæ-
 dam supersunt absoluenda ad cibum pertinentia. Quum e-
 nim supra modum cibis ingestis se onerauerint, necessari-
 um est illud euenisse, quod iis fere omnibus, qui ab consue-
 tis ad minus sibi vsu familiaria transire debent, & eo saltim
 tempore, quo aliquam in voracitate perfectionem nondum
 attigerunt, male ab hoc habuisse instituto, aduersus natu-
 ram, paucis alias contentam, tantopere pugnante. Equi-
 dem, hæc apud animum cogitans, multum ad rem fecisse ar-
 bitror, si quis eo corporis habitu a natura fuerit instructus,
 ut non facile ab rebus nouis, si quæ incidunt, damnum pa-
 tiatur. Hi autem sunt, quibus caro laxa est, vasa autem
 minora: animus vero hilaris & obsequens, saltem non præ-
 ceptus & consueti admodum tenax. Quum enim corporis ha-

F bi-

a] verba sunt Galeni orat. suasor. ad artes.

b] *Psychomach. v. 316. seqq.*

bitum animi mores sequantur, vt *Hippocrates* sapienter monet, ea ſolemus, in indole hominum designanda, plerumque coniungere. Tales autem communibus & in arte receptis vocabulis ſanguineos & phlegmaticos ſolemus vocare. Hos autem puto maxime huic inſtituto aptos fuiſſe, ex reliquis vero, ſi quis plurimum de temperatura hac obtinuerit. Nec deſtituit nos in eo experientia, quippe ex omnibus, in quibus aut magnum & prolixum corporis habitum deprehendimus, aut magnam in tolerando ac appetendo vario & multiplici, immo copioſo alimento, videmus naturæ patientiam; pauciſſimos deprehendimus, qui ſint eminenti aliquo gradu cholericæ vel melancholicæ: nec auctoritas *Hippocratis* a] nos hic fallit, qui inter homines gymnasticos, a coacto carniſum eſu male multatos, refert τοὺς πυκνοσάρκεις, quorum naturam eſſe acutam tradit, & in vtramque partem verſatilem, quæ non diu in eodem perſiſtat, ſi quem etiam habitum induxiſſes: contrarium euenire in hominibus rariore corporis habitu præditiſ, qui vt plurimum ſunt hiriſutiores, & tum carniſum eſum facilius admittunt, tum vero etiam laboribus tolerandis & conſeruando bono habitui, ſunt aptiores.

§. LVI. Naturæ accedit conſuetudo, quam ſæpe conando, tentando, agendo, repetendoque acquirimus. Hujuſ quantæ viſ ſit, & quantæ in vtramque partem, non opus eſt hic exponi, quum de ea inter omnes conſtet. Quid itaque mirum, ſi hiſ hominibus, longiori temporis ſpacio, in quantitate aſſumendorum, ex magiſtri præſcripto quaſi per gradus, progredientibus, ventriculus & inteſtina magis magisque expandi ſe dilatarique paſſa ſunt, vt quantitatem ciborum caperent, quam non crederet aut poſſet alius; quum ii medici, qui diſſectionibus corporum diligentius vacarunt, non pauca edonum bibonumque corpora offenderint, quorum hæ partes inſigni præ reliquis & ordinaria hominum magnitudine & capacitate conſpiciebantur. Nec ſolum copię ciborum ſenſim adſueſcimus, verum etiam eorundem condi-

tio

tio & qualitas cum tempore familiarior nobis & tolerabilis reddi potest. Si autem de copia succorum, in corpus hinc affluentium & cumulandorum, quæris; de eo suo loco circumspiciemus.

§. LVII. Vt vero melius ferrent tam copiosum alimentum, nouoque, ad statam horam ingerendo, idonei essent: in hunc finem multum sane laborarunt, ne quid excrementitii sordidique in corpore diutius hæreret, sed, quam fieri posset, celerrime eiiceretur. Hoc quidem impetrarunt frequenti cataclysmatum usu & vomitionibus, tantum non quotidianis. Ad horum itaque historiam tradendam, usumque inuestigandum, debemus accedere, & tanisper somnum athletarum porro differre. Vtriusque sane usus est admodum vetus, &, si quid historiis fidendum, ab Aegyptiis crebrior eorum usus, ad Græcos peruenit, quod inter *Hermanum Conringium* a] & *Olaum Borrichium* b] ex parte iam agitatum est, quorum omnes concertationes plus sane reip. medicæ, ad sua incunabula noscenda, profuerunt, quam innumerorum otiosa & iners concordia.

§. LIX. Stetit autem, priorum athletarum tempore, hæc res, quantum inquirendo addidici, intra mediocritatis terminos, ut nimium illis non reperiam adeo tributum. Quippe *Hippocrates* c] eorum usum sic temperat, ut alui per infusa elotiones & τὴν ἀνω κάθαρσιν per vomitum, secundum anni tempora distribuat; bis vero singulis mensibus alterum ex his in usum vocare permittat, etiam τοῖς ἰδιώταις, id est, suo more & ritu, sine certa lege, viuentibus, credo autem magis hoc in hominibus vitam περιτὰλινὸν degentibus admisisse veteres, si necessitas etiam aut usus sæpius expeterent. Iuvat quoque cernere, quibus subsidiis vtrumque præstiterint. Infusa erant vel crassa & pingua ex lacte, cicerum de-

F 2

co-

a] de *Hermetica medicina* lib. I. cap. XI.

b] in *Hermetis, Aegypt. & Chemic. sapient. vindicata.* cap. VII. §. 3.

c] de *salubri dieta & alibi.*

cocto & aliis huiuscemodi; vel tenuia & falsa, ex aqua marina, muria & similibus. Vomitus ciebant, si quis hyssopum contritum in aquæ congio bibisset, cui, ad gratiam, aliquid aceti & salis miscebatur: & is erat modus quo ieiuni vomebant, athletis proprius. Quare alterum ab eo descriptum modum hic non affero. Non multum est diuersus ille modus, qui in epistola ad Antiochum ab Hippocrate, ut fertur, scripta, legitur, cuius verba suo afferam loco. Laudanda in his simplicitas fini obtinendo per omnia sufficiens: & quanto melius egerunt, qui talia, ventriculo tantum euacuando, dederunt, a quibus nulla noxa fieret, quam nostro tempore plurimi, qui nihil nisi δραστικά ad euacuandum propinant, præfertim ubi vomitus proritare constituerunt. Veteres talia numquam dederunt καθάρτικά, nisi opus videretur ex toto corpore vacuare humores, & prudenter illos tunc quoque selectum instituisse legimus: in quo nos utilius imitemur eorum prudens consilium & canam experientiam admitteremus, quam nunc eos ridemus, quando verbis βαρβαροφωνήτοις aliquando delicatas aures nostras videntur percellere.

§. LIX. Frequenter itaque vomendi & aluum infusis eluendi consuetudo antiquissima est, nec athletarum demum Græcorum Romanorumue inuentum censeretur debet. Hi autem, ut solent omnia in deterius verti, ad κακοτεχνίαν rem deduxerunt & quotidianum fecerunt, quod antea bis singulis mensibus exercebatur. Fidem hic non merear, nisi claris testimoniis euicero. Adsit igitur medicorum disertissimus C. Celsus a] qui nos ita instruit: *Vomitus luxuriæ causa fieri non oportere confiteor; interdum valetudinis causa recte fieri, experimentis credo. Commoneo autem, ne quis, qui valere & senescere volet, hoc QVOTIDIANVM habeat.* Idem breui antea hæc protulerat: *reiectum esse ab Asclepiade vomitum in eo volumine, quod de tuenda sanitate, composuit, video: neque reprehendo, si offensus eorum est consuetudine, qui QVOTIDIE eiiciendo vorandi facultatem moluntur.* Paullo etiam lon-

a] libr. I. cap. III.

longius processit. Hanc vere consuetudinem ita reprehendit Seneca: a] *Aequè luctatores & totam oleo ac luto constantem scientiam expello ex his studiis liberalibus. Quid enim, oro te, liberale habent isti ieiuni vomitores, quorum corpora in sagina, animi in macie ac veterno sunt.*

§. LX. Si cui hæc non sufficiunt, quantumvis clara factis & certa testimonia; hunc pluribus obruere possunt Suetonius, qui Imperatorum Romanorum historias ea narrat libertate, qua ipsi vixerunt, & tres nobis imperatores Neronem, Tiberium Claudium & Vitellium perhibet præ ceteris gymnasticæ rei, adeoque voracitati quoque, multum deditos, de quibus singulis vomendi familiarem frequentiam commemorat; *Martialis* etiam & *Iuuenalis*, qui non vno loco viros & feminas obiurgant gymnastice vorantes & vinum adeo etiam ieiuno ventriculo infundentes, vt vomere possent. Sed non solum ante cibum vomebant, verum quoque a cibo illud sæpius perpetrabant. Nolo autem ipsa verba inferere, ne sim longior, præsertim cum adducenda nunc de instrumentis, vomitui proritando inuentis & hinc per longa sæcula, ad nostram quoque ætatem, vel superstitionibus vel reuocatis, abunde fidem facient, quam non formidauerint veteres ciborum aut cruditatum per os reiectionem.

§. LXI. Veteres igitur familiari vsu habebant quandam quasi chirurgiam aut mechanicam, qua se ad vomendum facilius iuuabant. Viderunt eos vehiculum assumere reiiciendis cibis esse solitos, maxime aqueum, paucis medicamentosis, iisque blandis, alteratum, qui vero plus essent sumptuosi & luxuriæ dediti, copioso prius vino distendisse ventriculum. Iam post breuem deambulationem indigebant stimulo aut irritamento, cuius ope ea produceretur in faucium, oesophagi & ventriculi musculosis tunicis contractio & compressio, quæ sursum impellendo contenta proiiceret. Id promte factis fiebat digito, quam longissime fieri posset, in fauces intruso, ibique, quantum satis esset, retento. In hunc sensum au-

etor vetustæ ad Antiochum epistolæ, quæ Hippocrati tribuitur, scribit: *qui mane vomiturus est, debet minutatim raphani radices manducare easque, vel succum earum transmittere: cardamum quoque, id est nasturtium, sed & sinapi & erucam, deuorare & aquam inde tepidam superbibere ac digito vomitum prouocare.* Digitos autem alii, & plerumque quidem, nudos adhibebant, alii irritante aliquo succo, vt scammonio, illitos. Quibus hoc non sufficebat, *digitale vomitorium* commenti sunt, quod *δακτυλῆσθραι* vocabatur. Hoc nobis Vir *χαρίεσσατος Io. Rhodius* a] ex Oribasii collectaneis medicis, ita describit: *Consuuntur digitalia ex corio carthaginienſi aut alio quouis molliſſimo, ad longitudinem digitorum decem aut duodecim (latorum) iſtar digiti. Ex hic ſpaciū ſenum digitorum lana impletur, reliquum vero, quod quaternum digitorum eſt, inane relinquitur, vt digitis aptetur. Hæc igitur vnguētis (cyprino aut irino) intincta in ſtomachum immittemus.*

§. LXII. In eundem finem alii utebantur penna, ſeu vt ſcriptum apud pleroſque veteres videas, pinna, oleo madafacta. Idem, quem modo citauimus, Oribasius rem clariuſ deſcribit: *pennas anſerinas ex cauda, octo aut decem, cyprino aut irino tinctas, indemus; quod ex eodem repetit quoque Aegineta.* Longum eſſet in hanc rem coaceruare Suetonii, Athenæi, Taciti, Suidæque teſtimonia, quæ in promptu ſunt, quare illud tantum, vt videamus durationem huius remedii generis, adducemus, Arabum medicorum principem, *Ibn Sinam* b] quem *Auicennæ* nomine vulgo cognoſcimus, huius quoque meminiffe, quem interpretis ore balbutientem exhibebimus, quum iam non liceat Arabicum exemplar intueri melioremque expoſitionem moliri: *Et, ſi cum penna vomuerit, bene erit; & ſi non, moueatur parumper, & ſi non, in balneum mittatur. Penna quoque, qua fit vomitus, inungenda eſt ex aliquo, quod ſit ſicut oleum ſiſaminum.* Quin ex re-

a] ad Scribonium Largum not. p. 267.

b] Canon. libr. I. Fen. IV. cap. XI.

centioribus *Christophorus a Vega*, a] Hispanorum medicorum facile clarissimus, in subitis, vbi celeri vomitu opus est, id procurare suadet aut digitorum in os immissione, aut penna oleo madefacta. Solent etiam apud *Martialem* b] hæc verba huc trahere :

Stat exoletus, suggeritque ructanti

Pinnas rubentes cuspidisque lentisci.

Magis autem videtur locus de dentiscalpio esse accipiendus; quod vel ex pennis, rubro colore infectis, parabant, vt apud nos quoque fieri solet, vel ex lentisci cuspidibus. Exponat autem semet *Martialis*, c] ita in dentiscalpium ludens:

Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis

Defuerit, dentes penna leuare potest.

§. LXIII. Commemorant etiam veteres lorum vomitorium, penna multo efficacius, hoc est corrigiam, a coriariis nautea herba tractatam, quæ, in os demissa, tætro sapore vomitum concitaret, nec non funiculum ex papyro confectum, quinimo ferreum instrumentum: de quibus plene & docte ad *Scribonium Largum* commentatus est *Io. Rhodius*, cuius verba huc transferre non putamus esse necessarium. Idem quoque attingit aliam Arabum machinam vomitoriam ab *Auicenna* d] quoque descriptam, quam is refert in apparatu chirurgi venam secturi: *habeat*, inquit *Auicenna*, *glomerem vt frustum rotundum ex serico grosso* (quod *And. Alpago* auctore vulgariter *struso* dicitur) *aut serico subtili, & cum eo habeat etiam instrumentum vomituum ex ligno aut penna—ideo vt si syncopis acciderit, quæ est vna ex rebus, quæ ex minutione timentur, & fortasse habens hoc non excitatura syncopi, succurrat & glomerem in os eius mittat & ipsum cum instrumento vomere faciat.* Constat, ni fallor, de mente & consilio *Auicennæ*. Quo magis dubito *Rhodium* recte inspexisse auctorem,

a] *art. med. III. f. V. cap. 8.*

b] *libr. III. epigr. 82.*

c] *libr. XIV. ep. 22.*

d] *libr. I. Fen. IV. c. XX. pag. 79. b. edit. Iunt.*

rem, cum ita scribit: *Sic medicorum Arabum princeps-verum οὐδὲν πρὸς δίκνυσον.* Toto enim capite differitur de venæ sectione, quid vero ipsi est cum vomitu? librarii culpa esto: plura non adiicio. Sed nec nos plura de vomitoriis instrumentis, quorum antiquissimi natales satis cogniti sunt. Potius ad athletas redimus, quorum causa hæc inserta sunt. Nulli enim dubitamus hos maxime ex enarratis vfos esse aliquibus, quibus subinde ventriculum excuterent, & ad novæ repletionis desiderium sollicitarent.

§. LXIV. Si toties vomuerunt athletici homines, annon consequens fuit, ut alius valde adstringeretur? Est enim illud inter doctrinas medicorum, ventrem comprimi & stipari, quando eiectiones per os moliti fumus, aut illæ sponte acciderunt. Enimuero *Celsus* a] nobis hunc scrupulum eximit: *Illud scire oportet, inquit, quod ventrem vomitus solum comprimit, compressum soluit. Itemque comprimit is vomitus, qui statim post cibum est; soluit is qui tarde superuenit.* Nihil itaque est quod hic timeamus, quum non nisi tardissime vomitum moliti sint, quando nempe ab hesternæ coenæ in ventriculo forte relictæ reiectare visum fuit, ut novæ, in prandio assumenda, possint locum inuenire vacuum. Eadem igitur opera puto superius eos reieciisse per os, & inducta per vomitum concussione & pressione partium in abdomine, etiam crassorum intestinorum contenta ad exitum esse compulsa. Si vero hæc spei & voto minus respondissent, tum demum clysterum operam fuisse expetitam.

§. LXV. Ex *Auicenna* superius intelleximus iis, qui a pennæ usu non vomuerint, suaderi balneum. Reuocauit hoc in memoriam, quod apud *Prosperum Alpinum* b] de usu balnei apud Aegyptios, in illum finem ut vomerent, legerim, quem eo magis adeundum iterum mihi putavi, quod frequenter vomendi consuetudo ab Aegyptiis fuit. Is igitur nobis auctor est hodieque in his terris operam dari corporum faginæ,

a] *Libr. I. cap. III. pag. 34.*

b] *de medicina Aegypt. libr. III. c. 17.*

ginæ, præsertim a feminis: sed vomitandi adeo frequentem esse usum, ut multi singulis hebdomadibus hoc faciant, plerique bis quovis mense, aliqui etiam semel hoc facere satis habeant. Ut vero facile vomant, ad decem usque libras aquæ, in qua glycyrrhizæ radix seminaque fœniculi sint percocta, epotant, sicque euomunt multa & quam facile. Sed instituunt hanc euacuationem balneo aquæ dulcis tepidæ insidentes. Lucem hæc dant Hippocrati, ad intelligendum, quo fine iubeat τὰ παιδία τὰ νήπια βρέχειν ἐν τῷ θερμῷ ὕδατι ἐπὶ πουλὺν χρόνον, ἢ πίνειν δίδοναι ὕδαρᾶ τὸν οἶνον ἢ μὴ ψυχρὸν παντάπασι. *Puerulos admodum infantes multa aqua calida per longum tempus fouere, & vinum bibendum dare copiosius, hocque non penitus frigidum.* Nempe is finis & exitus huius consilii fuit, ut infantes vomerent; cur autem vomerent tenelluli? Ipse addit: τὰυτα δὲ ποιεῖν, ὅπως δὲ τε σπασμοὶ ἦσσαν ἐπιλάβωσι, ἢ μείζονα γίνηται ἢ ἰχυρώτερα (Galenus legit εὐχερώτερα.) *Fieri debet hoc, ut conuulsionibus minus sint obnoxii, & maiores euadant meliorique colore & robore præditi.* Non autem ex vana coniectura ita Hippocratem, etiam contra Galenum, expono de vomitu proritando, quoniam eo loco, qui cum hoc arte cohæret, de modo vomitum (diætetikum non pharmaceutikum) salutariter prouocandi præcipit; deinde, quia ex eo, quod præscripsit, regimine nihil aliud quam vomitus consequi potest; denique quia insanum esset de summo Hippocrate existimare velle, quod tenellulis puerulis vinum pro quotidiano usu præscripserit: tandem, quod is modus, secundum omnes artis regulas, ad præcauendas conuulsiones est aptissimus.

§. LXVI. Confer cum his, si placet, superius laudata Conringii & Borrichii loca, & mirare durationem consuetudinis frequenter, sed sine violentia & virulentia medicamento, vomitum proritando. Pulcrum specimen Aegyptiæ medicinæ οὐ διακεκινδυνευμένοις Φαρμάκοις χρωμένης, ἀλλὰ τοιοῦτοις, ἃ τὴν μὲν ἀσφάλειαν ἔχει ὁμοίαν τῇ τροφῇ τῇ καθ' ἡμέραν, τὰς δὲ ὠφελείας τηλικαύτας, ὥς' ἐκείνους ὁμολογουμένως ὑγιεινοτάτους ἢ μακροβιωτάτους εἶναι. h. e. *Quæ non utitur medica-*

G

men-

*mentis cum multo periculo coniunctis, sed talibus, quæ tuto v-
su cibus conferas, tanto tamen cum fructu sumantur, vt in con-
fesso apud omnes sit, hos homines esse omnium sanitate firmissi-
ma & longissima vita.* a] Nec solum vomitus frequens est
hodieque apud Aegyptios, verum etiam clysterum vsus ad-
eo obtinet, vt eos, incrassari cupientes, bis terue quaterue,
in balneis, vno die, adhibeant.

§. LXVII. Non indigna res videtur, cui paullisper
immoremur. Et primo quidem illud Aegyptii, ex antiquis-
sima medicina, rite tenent, vt pro diuerso fine, temperare v-
sum balneorum, vomitionum, frictionum calleant, vt æque
ad pinguefacienda & incrassanda faciant, ac iisdem extenua-
re hominem nimis obesum nouerunt; scilicet pro tempo-
ris diuersitate, quo ad hæc veniunt, vt & pro gradu caloris
in balneo, intermissa vnctione vel adhibita, & denique fri-
ctionum diuersa ratione. Quæ omnia pari ratione ex Hip-
pocratis & cœuorum, vt & subsequutorum, praxi possem
comprobare, si hic locus pateretur longiorem a proposito
exursionem.

§. LXIIX. Deinde etiam clysterum vsus, ad carne &
pinguedine inducenda corpora, veterum constat experien-
tia & comprobatione. Videndum autem est quam distin-
cte eodem remedio vsi, diuersum finem obtinuerint, vt ha-
bitiores fierent homines & gracilentiores ab eodem medici-
næ genere. Nam crassioribus, qui augeri non debebant,
tenuiora & falsa infundebant, veluti muriam, aquam mari-
nam & eiusmodi: gracilioribus, quos desiderabant auctos,
adhibebant crassa & pingua ex lacte, cicerum decocto, &
pluribus huius generis. Omnia autem hæc talia sunt, vt,
frequentius etiam adhibita, nihil violenter in corpore aggre-
diantur, sed ita blande corpus purgent, ac pituitam bilemque
educant, abluendo; veluti balneatores, vt *Galen*i verbis vtar,
se balnea purgare dicunt, quum ab illorum lapidibus cœnum
absterunt & sordes.

§. LXIX.

a] *Isocrat. encom. Busirid.*

§. LXIX. Tandem in vniuersum æstimare hoc crebrarum euacuationum artificialium debemus inuentum. Equidem video hic etiam nimis communem inter medicos dissensum admodum elucere, quando de vomitoriis quæritur. Si autem rationes ab iis allatas perpendimus, hodiernorum omnis dissensio nihil tangit veterum circa hanc rem vsum. Quotus enim quisque medicorum, de vomitoriis dicens vel scribens hodie, non intelligit pharmaceuticum medicamentum, quod intra corpus assumptum, spasmus fibrosarum partium, indole sua volatili salino-sulphurea acri, prouocat, & hac contractione eiectionem per superiora concitat. Veteres autem, quum tot millies mille vomitus vno anno peragerent; numquam talibus indiguerunt, nisi quum vniuersa humorum massa videretur expurganda & serum toti corpori detrahendum. Si itaque ille vomitus veterum diæteticus diuersissimus a nostro fuit, consequens est, vt nec in nouum nostrum vomendi genus ea quadrent, quæ antiquorum vomitionibus conueniunt, nec ea in veterem modum coniici debeant, quæ effecerunt vt vomitoria pleraque multis præclaris viris & in artis operibus versatissimis suspecta reddita sint, adeo certe, vt non sine magna cura & ægre plerumque ad ea veniant. Ortum hæc differentia, nisi magno pere fallor, Chymicis debet suum, qui magno studio id agunt, vt medicamenta inueniant parua mole efficacia, quo ipso studio nimis iam feliciter impetratum est, vt Galenicorum, diffusiori mole propinandorum, omnes inuaserit tædium atque odium, & vomitum pauci hodie, nisi croco metallorum aliisque antimonialibus aut metallicis, prouocent. Spero tamen fore id tempus, quo, inito per talia virulenta iugulatorum calculo, nimis mature abiecta requisitum in veterum vestigia & vias frequentius redibimus & *Bagliuo* a] credimus: *praxin Galenicorum maximis propemodum interuallis recentiorum praxin antecellere.*

§. LXX. Ante paucos annos magno, vt in rebus, quæ

G 2

no-

a] *Prax. med. lib. I. cap. X. §. 5.*

nouæ videntur, fieri solet, conatu ad excutias ventriculi in
vsum reuocandas quidam iuerunt; sed vnus vel alter infelix
casus ipsas fere nascentes suppressit & hominum manibus ex-
cussit. Accedit autem illud instrumentum ad antiquitatis v-
sum quam proxime, & posset sane eius magna vtilitas esse, si
recta cum ratione adhiberetur, & ipsum sic præpararetur, vt
ab eius applicatione nulla in faucibus vel ventriculi tunicis
læsiō posset consequi. Si tamen omnino huic diffidendum
videtur, digitale certe vomitorium, superius descriptum,
tale est, vt nihil incommodi ab vfu eius pertimescendum
sit.

§. LXXI. Circumspiciendum nobis nunc est de reli-
quis. Vidimus quam multa & quænam athletæ in cibum
sumserint, & qua ratione in tanta assumtorum copia caue-
rint, ne appetitus noui cibi ipsis eriperetur, aut venter to-
tus oppletus a recipiendo nouo prohiberetur. Videndum
superest, quomodo tam multi cibi digestionem promotum
iuerint. In quo reliquæ omnis diætæ rationem vniuersam
videbimus inclusam. Ea sic erat instituta, vt corpori augen-
do mole idonea esset, & tamen molem non inertem ac pi-
gram, sed robore debito præditam, procuraret. Ad primum
obtinendum somnum copiosum, post maximam in coena re-
pletionem, illis præscribebant; alterum autem impetrabant
laboribus vehementibus & assiduīs, non minus, quam de ci-
bo diximus, coactis, & necessario fubeundis: qua ratione id
consequiebantur, vt & per illos labores viriumque consum-
tionem locus nouo incremento fieret, & assumtum illud,
pro vltiori alimento, pabulum, secūra & profunda per so-
mnum quiete, in venas abripi & per totum corpus posset
distribui.

§. LXXII. Videntur autem athletæ illud maxime ex
salutaris artis habuisse fundamentis, quod largiorem pastum
non in prandio assumerunt, sed coenæ eum reseruarunt.
Nam a prandio, quod veteres ante meridiem sumebant, vna
vel altera hora, debebant ad duras & continuas exercitatio-
nes venire, usque toto corpore vehementer moueri, qua ra-
ti-

tione multum crudi chyli & præcoci in venas fuisset abreptum & humores impuros reddidisset. Quod intuitus *Plempius* a] inter nostrum prandium & cœnam non satis intercedere temporis, ad exercitationem corporis fubeundam, statuit. Nec proinde male sibi consulere, in Saxonia præsertim inferiori, videntur homines, durissimis laboribus agriculturæ dediti, ut & plerique omnes reliqui, quod prandium habent modicum, cœnam pleniorē assumunt. Sed otio languentibus, aut vitam magis sedentariam habentibus quam actiuam, si hac ratione victum distribuerent, verendum esset, ne corporis inertī mole nimium distenderentur. Pulcre *Plinius*: b] *somno concoquere corpulentiam quam firmitati utilius*. At vero nihil a prandio, præsertim copiosiori, magis noxium, quam celerior motus & ad anhelitum sudoremque productus, quod, iam laudato *Plempio* auctore, & experientia teste, morbi cutanei, pruritus, scabies, glandularum maxillarium tumores, & intus obstructions inde oriuntur, præsertim ubi simul ac semel a motu desistendum est, ut transpiratio concitata subito desinat. Idem de cœna locum habet, eoque magis, si æstiuo tempore, ad aerem tunc humidiorē fiat. Sed ad athletas est reuertendum, de quibus inferius paullo videbimus plenius, qua ratione ab hoc errore sibi cauerint, si prius de somno expediuerimus.

§. LXXIII. Somnus itaque athletarum, quod multus & longus fuerit, ex Galeno supra iam intelleximus. Is igitur institutus est, ut pinguescerent maxime, & saginam corporis fouerent. Videmus hoc exemplo animalium, quæ volumus pinguescere, hæc caueis includuntur, ut minime possint moueri. Præclare de hoc *Seneca*: c] *Aues, quæ conuiuiis comparantur, ut immotæ facile pinguescant, in obscuro continentur: ita, sine vlla exercitatione iacentibus, tumor pigri corpus inuadit, & super membra iners sagina succrescit.* Vi-

a] de sanitate tuend. pag. 288.

b] H. N. Lib. XI. cap. 53.

c] epist. 122.

dimus apud Iudæos anseres ita faginari, vt sacco, nisi qua parte excrementa eiici debent, toto corpore infuti, appendantur loco obscuro, statoque tempore turundis frumenta-
ceis, in os intrusis, repleantur. Qua ratione pinguiissimi e-
uadunt & antiquas delicias, iecora quam maxima & delica-
tissima, acquirunt.

§. LXXIV. Ne vero per fomnum venereis ludibriis vexarentur, & pollutionibus nocturnis virium magnam ia-
cturam facerent, (nam a venere toto tempore exercitatio-
num prorsus erat abstinendum; quin plurimi memorantur
athletæ, qui per totam vitam sese continuerunt) curiose ab il-
lis procurabatur laminis ex plumbo, renum ac lumborum
regioni per noctem applicatis. Credebant autem prisca ho-
mines tantam inesse plumbo frigiditatem & siccandi potenti-
am, vt possit, etiam externe adhibitum, calorem partium,
elaborando femini dicatarum, extinguere & humiditatem
superfluum consumere. Horum enim amborum copia opus
esse, ad generationem perficiendam, rebantur. Nec alia de-
erant remedia suppressendæ veneri destinata, sic vncti ad bal-
nea prodibant, ibique gelida virgine perfundebantur, id est
aqua pura, quam frigidissima illa profluit. Constat hoc *Mar-
tialis* testimonio, quod non adducemus, quia cum obsceni-
tate coniunctum est. Quantum his artificiis profectum sit,
dicere nequeo, nolo tamen experientiam labefactare. Me-
mini me quoque legere multos, ex religionis studio castita-
tis voto obstrictos, plumbi gestare laminas esse solitos. E-
go vero aduersus libidinem ac lasciuiam nihil æque facere
credo, quam irritationum omnium occasiones fugere, & her-
ba perimente lasciuiam continuo vti. Prius in pædotribis
laudat *Magnus Basilius* ab *Mercuriali* a] citatus, quod *consi-
derantes, ex veneris voluptatibus corpus imbecillius & ad ne-
cessariorum operationes pigrum atque debile reddi, temperan-
tiæ legem promulgauerint, quæ adolescentum corpora a volu-
ptatibus tuta conseruaret & decertantibus ipsis, ne aspicere qui-
dem*

a] art. gymn. lib. I. cap. XV.

dem venustas formas permitteret : alterum remedium frequenti sermone inter familiares laudare solitus erat *Melchior Canus*, Hispanorum Theologorum haud postremus, eiusque virtute ordinis, a Iesu nomen habentis, socios primos custodiri, ne ab necessaria cum sequiori sexu conuersatione ad flagitia perducerentur. Peruenerunt ad Regis Hispaniarum aures hi sermones, qui percunctatum ad homines huius ordinis aulicos misit, quo nomine herba hæc diceretur; responsum autem tulit, vocari illam: timorem domini. a]

§. LXXV. Ceterum venerem corporum incrementis maxime obesse, præsertim friuolam illam & intempestiuam iuuentutis, maxime apparet ex priscorum Germanorum corporibus, quorum hæc laus erat, quod quam diutissime impuberes manserint, magnusque apud illos continentiae sit honos habitus, in quam rem iterum conferendus est sæpe laudatus *Hermannus Conringius*. Sed athletas omni tempore æque fuisse a venere alienos, non est verosimile, illud potius maxime ad fidem pronum, finito exercitationum tempore, & certaminibus absolutis, ad vxores eos esse reuersos, a reliquæ etiam diætæ rigore aliquid desciiuisse. Maxime illud de Græciæ athleticis liberis certum est; qui autem apud Romanos athleticè viuebant, eos videor mihi in plerisque deprehendere legibus seuerioribus minus obtemperantes, nisi forte adductius illi vixere, qui ludis inclusi erant gladiatores, & pugiles, iudicis sententia eo detrusi, vel ære ad hoc emti.

§. LXXVI. Qua ratione moli corporis comparandæ & conseruandæ studuerint, consideratum est: restat iam videre, quo potissimum modo effecerint, ne iners & inutile pondus esset corpori tanto studio acquisitum. Illud igitur laboribus præscriptis quærebant. Græcis, termino ferè vsitatissimo & proprio, vocantur *ῥαλασπείαι*, quæ vox alias etiam miseriam designare solet, &, nisi fallor, propterea eis indita fuit, quod essent ex necessitate obeundi & valde
mo-

a] *Bælius Dict. voce: Mariana. not. C.*

molesti viderentur. Quales illi fuerint ex superioribus satis superque, credo, constabit: nunc ordinem, quem in subeundis obseruauerint, tantum recensebimus, eademque ratione totius diei decursum, vno quasi obtutu, inspiciemus. Ante prandium nullam exercitationem obibant, quod ferius a somno surgere consueuerant, & si quod tempus superesset, vomendo & exonerando alio conterebant; tum etiam, quod, docente Galeno, *ieiunum exercitare aperte vacuat*. In prandio panem tantum sumebant, vt vidimus, & ad exercitationes, breui interiecto tempore, quod deambulationibus in gymnasio conficiebant, se præparabant. Interea puto eos, qui inungi debebant, esse perunctos ceromate, & happe conspersos. Vngebantur autem tantum luctatores & pancratiaistæ, qui vehementissimis motibus debebant se exercere. Cursores autem, saltatores, discoboli iaculatores & pugiles non putabantur hoc egere auxilio. In ipsis laboribus is in vniuersum ordo erat, vt, qui exerceri inciperet, leuioribus daret operam, & per gradus ad altiora grauioraque annitetur. Idem in quotidianis laboribus obseruabatur & leuius primo, deinde vehementius, labore contendebant, in suo quisque genere, quod, præscribente magistro, tenendum erat. Quum iam tempus monebat exercitationibus desistere, & ad coenam venire, ἀποθεραπεία instituebatur, seu cura corporis illa, qua plene ex corpore & sine molestia expellere-
tur, quod in motu fuerat, tum etiam vt lassitudo, motibus peractis fortioribus, subsequi alias solita præcaueretur. Sicque ad coenam, a coena ad somnum redibatur. Ita non male Galenus dixit: *omnem ipsorum vitam in hoc circo versari conspexi, aut edentium aut bibentium, aut dormientium aut ventrem exonerantium, aut sese in puluere lutoque voluentium*. Sed plura video me inclusisse paucioribus verbis, quare nonnulla ex dictis pluribus erunt enarranda.

§. LXXVII. Itaque de ratione vñctionis breuiter exponemus, quoniam copiose iam illud & optime fecit Hieronymus Mercurialis. Qui enim grauioribus exercitiis, & maxime defatigantibus, volebant occupari, ne nimium extra

corpus per transpirationem expelleretur, tum vero etiam ut fibras molliores redderent, per totum corpus inungebantur. Ad hunc usum erat in gymnasiis alipterium seu unctuarium. Ipsum vero, quod illinebatur corpori, vel simplex erat oleum, vel cera temperatum, ut minus facile a corpore diffunderet. Ita ad pugnam prodire solebant, quando prius pulvere corpus ita perunctum consperferant, ad quem usum vel Puteolanus adhibebatur, ex notissima crypta Neapolitana, vel ex Aegypto aduectus. Dicebatur is happe, vocabulo Græco in Latinum migrante: ob eam vero causam inspergebatur, ut facilius continere se inuicem luctantes possent. Vtriusque meminit *Seneca*: a] *totum athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit: a ceromate nos happe excepit, (in crypta Neapolitana.)* Quo loco in suum iter iocatur, quippe post lutulentum illud, quo totus fuerat fordibus conspersus & madens factus, pulvere illius cryptæ quasi resiccatus fuit.

§. LXXIIX. Apothepiæ quoque ratio est habenda, quæ exercitationibus finem imponebat, quamvis aliquando etiam legimus, ipsis exercitationibus nondum absolutis, si quis nimis videretur delassari, aliquam huius curam, ita iubente & probante epistata, fuisse institutam, qui post illam ad labores tamen redire debuit. Quod quidem consilium gymnastarum vehementer laudat & rationibus comprobat *Galenus*. b] Duplici instituebatur fine, ut lassitudinem demeret, & impuritates ex corpore educeret: non autem vno gradu eodemque modo, sed & hic gymnastarum valebat præscriptum. Præmonemus autem nos apothepiam hominum, tantum sanitati studentium, hic non attingere; sed ad solos respicere eos, qui exercitabantur in gymnasiis. Primus eius is erat gradus, ut ab vehementissimis exercitationibus ad leniora sensim veniretur, exempli causa, si qui decertassent lucta vel pancratio, & ab hac essent defessi, ad cursum vel iactum, tandem ad ambulationem progrediebantur.

H

Hoc

a] *epist. 57.* b] *de sanit. tuenda libr. III. cap. 2.*

Hoc satis iam facto in gymnasiolorum illam partem veniebant, vbi frictiones instituebantur. Hic ante omnia illis, qui oleo & puluere vsi antea fuerant, strigilibus, ex ferro vel alia commoda materia paratis, abradebantur sordes multo iam sudore perfusæ, deinde quoque fricabantur. Quum iam satis sudor euauisset, vngi solebant. Si quibus lauare placeret calida, ante vnctionem faciebant, detergi vero statim vnguentis illinebantur. Plurimum autem amasse athletas frigida balnea certum est, quoniam hoc ad carnes augendas fouendasque in primis facere persuasum habebant. Qui lautiores erant & diuites, adhibebant vnguenta varii generis odorata: credo autem athletas tam sumtuosos non fuisse, vt, qui in reliquis viuerent simplicissimis contenti, hic odores valde concupiuerint.

§. LXXIX. Dici vix potest quam curiosi fuerint prisca homines in frictione administranda. Varii erant modi, varii gradus, tantum abest vt perfunctorie in hoc negotio aut turbulenter versati fuerint. Mox spiritus debebat inclusus cohiberi, mox subito emitti, partes vario modo tendi, remitti. Ipsa frictio vel a progymnasta fiebat, vel vnus alterum, mutua opera, fricabat, idque vel manu, vel panno crassiori. Sæpe etiam fasciæ abdominis lumborumque regioni circumiiciebantur, & trahendo in vtraque earum extremitate, hac agitatione calor excitabatur. Eaque omnia diuersa, pro hominum differentia. Obesioribus frequenter sic fiebant frictiones, vt manus valenter iniicerentur parti & subito retraherentur, quo *Martialis* a] respexit:

*Et putri lutulenta de palestra
Vncti verbere vapulat magistri.*

Quæ omnia pluribus describit *Galenus*. Adde, si placet, *Prosperum Alpinum*, b] quo teste discas eadem hodieque in Aegypto fieri.

§. LXXX. Restat in consideranda athletarum diætâ, vt circumspiciamus, quo modo se gesserint aut adsueuerint aeris mutationibus & animi affectibus tolerandis, in quo breues erimus,

a] libro VII. epigr. 66. b] loco supra citato.

mus, ne nimium excrescat dissertatio. Et aeris quidem rationem in gymnasiis exstruendis, ad loci commoditatem, fuisse habitam, quivis facile intelligit. Sed non prorsus abiectam fuisse hanc curam, præsertim apud Romanos, ex eo apparet, quod ludos pro gladiatoribus maximos Capuæ & Rauennæ habuerunt, quorum locorum magnæ salubritatis argumentum *Strabo* hinc ausus est desumere. Ceterum athletas Græcorum aeri qualicunque ferendo & maxime calorem tolerando fuisse insigni modo aptos, ex eo facile apparet, quod in olympicis ludis, ubi per totum diem decertabatur, æstum tantum perferre potuerunt. Illæ autem solemnitates celebrabantur media æstate, quando calor est intensissimus. Frigus autem non minus tolerabant, quippe nudi per totum fere annum, aut leuiter saltem vestiti, exercitabantur & noctem sæpe etiam nudi sub dio exigebant. Non dissimulat hoc *Epicætetus* ad suum olympicæ coronæ candidatum ita differens: δὲ σε γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην ἐν ὥρᾳ τεταγμένη, ἐν κάυματι, ἐν ψύχει. *Debes ex necessitate exercitationes subire, ad calorem, ad frigora.*

§. LXXXI. Animi etiam affectus, quod mireris, curæ habebant, & maxime iram compescere quauis ratione studebant, de quo nos *Seneca*, libro de ira, certiores reddit. Cum enim viderent iram ipsis maxime obesse, ad finem artis obtinendum & æmulum deuincendum, excandescentem illam studiose curabant suppressere. Et erant sane plurima, quæ ipsis occasionem se hic exercendi ad patientiam suppeditabant. Taceo quæ toti instituto aderant incommoda, fatis graua homini sibi viuere adfucto: illud certe non leue fuit, si quid peccatum esset, cædi flagellis, μαστιγωθῆναι, vt *Epicætetus* auctor est, aut rhododaphnis tergora percuti, vt *Galenus* loquitur. Ad hæc intuitus *Epicætetus* ita pergit futuro athletæ difficultatem artis exponere: δοκῆς ὅτι ταῦτα ποιῶν ὡσαύτως δύνασαι ἐοῖσιν, ὡσαύτως πίνειν, ὁμοίως δυσχερεῖν; ἀγρυπνῆσαι δὲ, πονῆσαι, ἀπὸ τῶν οἰκείων ἀπελθεῖν, ὑπὸ παιδαγίου κατὰ φρονηθῆναι, ἐν παντὶ ἡττον ἔχειν κ. τ. λ. *Putasne te, quando hoc vitæ genus aggressus fueris, perinde vt nunc posse edere, bibere, auersari? Vigilare oportet, laborare,*

domo excedere, a puerulo contemni, in omni re inferiorem aliis esse, cetera.

§. LXXXII. Mentio facta est ῥῶν ῥοδοδάφνων, quam vocem *Galenus* a] in tam dubio sensu posuit, ut inde interpretes, alique eruditi mirum in modum inter se diffideant. Forte ad rem aliquid faciet, si summam earum opinionum ex doctissimis *Io. Rhodii ad Scribonium Largum notis* proferam & de meo aliquid subiungam. Fuere qui putarent hoc frutice flexili (intelligunt autem illum, qui notiori nobis vocabulo rhododendron seu nerion appellatur) tergora athletarum cæsa fuisse, ut, pleniori habitu, veluti scarificatione, sanguis eliceretur. Sed hæc esset molesta sane scarificatio & cucurbitulis ac scalpello commodius ad hunc finem perueniri poterat: Alii ad venustatem nudis decertantibus conciliandam floribus fruticis huius terga infecta fuisse credunt; sed historia filet: Alii ad ruborem esse percussos athletas putant, ut sanguis magis attraheretur, habitioresque fierent: *Rhodium* denique foliis, tamquam strigili, a foribus palæstræ esse fricando depurgatos sentit, non tamen repugnat, si cui præcedens sententia magis arrideat. Enimvero mihi, Galeni mentem consideranti, clarum videtur illud, inter miseras athletarum hoc referri, quod rhododaphnis eorum terga dirumpi debeant. Ex hoc ita subduco rationes meas, instrumentum poenæ fuisse, quo in illos animaduvertebatur, qui vel segniores essent, vel aduersus instituti leges quicquam admisissent. Siue igitur illud vere ex frutice hoc desumptum fuerit, vel homonymia aliqua, ut in artis terminis non est infrequens, nomen hoc simul illud instrumentum & illum fruticem signauerit: parum refert. Notum est hodie cuius fere militum generi suas esse poenas; multum sæpe inter se & ab aliorum hominum poenis discrepantes. Ita Romanorum militum poena erat vite percuti, si extra ordines deprehenderentur. *Plinius* b] de eo sic scribit: *centurionum in manu vitis - atque etiam in delictis poenam ipsam honorat: & Liuius*, c] *Scipio*, inquit, quem

mi-

a] *orat. suasoria ad artes.*

b] *H. N. 14, l.* c] *lib. 57.*

militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus cædebat, si extraneus, fustibus. Quid impedit, quo minus idem de athletarum pœnis statuamus? *Galenum* autem, qui tempore eo scripsit, quo hæc erant notissima, nemo accusabit, si nobis obscurius hæc, non tam medica quam domestica, tradidisse videtur; accusandus autem maiori iure esset, si tot locis, ubi athletarum res, ad medicam considerationem aliquo modo pertinentes, exponit, nullibi rem, tanto consilio susceptam, ex merito perpendisset, si omnino sanitatis, aut comparandi habitus aliquem habuisset finem.

§. LXXXIII. Quum plura sint in diæta & viuendi toto genere ac instituto athletarum, quæ non inutiliter forte possent huc transferri; pedem tamen consulto hic ponere constitui, ut reliqua tempestiue subnectam, nec terminos constitutos nimis transgrediar. Illud, antequam finem huius sermonis faciam, admonere volo, me hic in considerata re athletica ad viros potissimum respexisse, & quæ in eos quadrarent, adduxisse. Quod, si quis attenderit, vitium mihi non imputabit si quis forte apud *Plautum* legerit:

Ante solem exorientem nisi in palestram veneras

Gymnastii præfecto haud mediocres pœnas penderes,

& in nostris inuenerit somnum in longam diem athletic frequentem fuisse. Erant enim, ut apparet, diuersæ puerorum a virilibus exercitationibus & ab utrisque eorum, qui media inter hos ætate constiterant, diuersa autem singulis quoque instituta, diuersissima diæta. Huc semper oportet respicere. Adscribam de puerorum certaminibus elegantem *Plutarchi* a] locum: *παρ ἡμῶν καθ' ἕκαστον ἄθλημα τοὺς ἀγωνιζομένους εἰσάγουσιν ἐπὶ παισὶ παλαιαῖς ἄνδρας παλαιαῖς, καὶ πύκτας ἐπὶ πύκταις, ὁμοίως καὶ πανκράτιστας. ἐκεῖ δὲ, ὅταν οἱ παῖδες διαγωνίσωνται, τότε τοὺς ἄνδρας καλοῦσι.* Apud nos (Romæ) in singulis concertationibus introducunt post pueros luctatores, viros luctatores, & pugilibus sufficiunt pugiles, itemque pancratiastis pancratiastas: ibi autem (in Olympiis) ubi decertauerunt prorsus pueri, viros

demum vocant. Similiter quæ de tempore exercitationum dicta sunt, debent de ordinaria illorum vita capi. Alioquin *Galenus* a] de extraordinaria exercitatione ita nos docet: *Athletis necesse est, (quo ad immodicos labores, etiam toto die aliquando continuandos, præparato iam corpore sint,) absolutissimum illud exercitium, (ipsi κατὰσκησιν vocant) ALIQUANDO obeant.*

§. LXXXIV. Absoluimus de diætâ athletarum, in quo sermone multa debuimus silentio prætermittere, quæ ab aliis minus recte dicta sunt, ne volumen pro dissertatione enasceretur. Sed id vnicum præiudicium non est prorsus reticendum, ordinem nullum aut perpussillum athletas in comedendo seruasse, vt & temporis nullam rationem habuisse, quod summo viro *Hieronymo Mercuriali* b] excidit. Tantum vero abest vt hac fuerint negligentia, vt nullum vitæ genus magis fuerit strictæ & mensuratæ rationi cuidam, a gymnasta dirigendæ, obnoxium, quam hoc ipsum athletarum. Et hæc ratio fuit, quare ab antiquis crebro exagitatum illud legimus & reprobatur ab illis, qui se muneribus Reip. gerendis aut militiæ dedicauerant. Nulli comparandum heic est *Plutarchi* testimonium, qui *Philopæmenem* propterea narrat gymnasticam fugisse vitam, quin, in potestate constitutum, contumeliis affecisse, quod iuuenis ab amicis perceperat, militarem ab athletica vita secundum omnia absolute differre; athletarumque diætâ, exercitationes, multum somnum, continuas repletiones, stricta lege præscriptas corporis quoad motum & quietem vicissitudines, habitus denique, ab omni noua re incidente, subito metuendas alterationes, cum sollicita omnis excessus fuga; hæc, inquam, omnia sic constituta esse, vt minime iuuent hominem, qui deberet omnibus perferendis idoneus esse, & non solum quouis tempore motibus suscipiendis continuandisque paratus, sed inopiæ etiam & defectui ciborum ac potus, si res ita pos-

a] de sanitat. tuenda lib. III. c. 2.

b] art. gymn. lib. I. cap. XV.

stulet, quam maxime adfuetus. Idem quoque apparet, si quis in Hippocrate & Galeno attendit, quoties hi sibi opponant τὸν ἰδιῶτα i. e. hominem suo ritu suaque libertate viventem, & athletam, ad necessitatem ac præscriptum magistri vitam instituentem.

§. LXXXV. Rectissime id vidit Italiæ medicorum decus *Bagliuus*, a] qui eo loco, quo in diætam Pythagoreorum incidit, hanc breuibus verbis sic complectitur: *singule diei horæ ita distributæ erant, & victui ita accommodatæ GYMNASTICE, vt quilibet, vel negotiosus homo, nihil a negotiosa vita detrimenti caperet.* Qui tamen ipse locus ita intelligendus est, vt athletica seu gymnastica vita, cum laudata Pythagoreorum diætâ in stricto dimensoque vitæ genere tantum conueniat, quum de reliquo, si finem præsertim spectes, toto instituto inter se diuersa sint. Nam athletæ corpus maxime habebant curæ; hi vnice quærebant, ne animo corpus foret grauis carcer: athletæ magnam carniū comparare studebant molem; hi, *Pythagora* b] iubente, fugiebant σαρκῶν πλεονασµόν. Sed hæc pluribus proponenda erunt, si, quam meditor, *de Pythagorica diætâ*, prodierit dissertatio.

§. LXXXVI. Audio iam voces quorundam, qui Casianum illud: *CVI VSVI?* ingeminant, & quærere videntur, quare tam longa opera de re diu obsoleta nunc disseruerim & plura etiam animo voluam? Hos vero, si ignorant historiarum, in omni disciplinarum genere, luculentissimum fructum, longo sermone vincere nunc non licet; miseret potius eorum, quorum cæca studia tristi præfagio relinquenda sunt. Vtile enim hoc genus hominum nihil putat, quam quo maxime ad empiricam praxin armantur, vt quam primum in mundum omnem profiliant, iis operam laturo, quos fortuna feruare, eorumque imperitiæ victimas cadere nondum voluit. Si tamen bono animo quærunt proxime infer-

u -

a] *de fibr. motr. p. m. 180.*

b] confer *Diog. Laertium vit. Pythag. p. m. 582.*

uitura, non carent sane optimorum virorum optimis scriptis iisque vtilissimis. Hos legant & ab iis mecum discant, quamdiu volent; tamdiu autem velle debebunt, quoad eos, quantum proficiant, non poenitebit. Ita vero oculis cernent, quam crebro ad Hippocratem aliosque veteres ablegantur. Quos, si per se intelligunt, non indigent sane huius generis lucubrationibus: si vero alicubi hærent, commode licebit, quando placet, ad talia recurrere. Ex ipsis vero artis salutaris coryphæis & principibus neminem, spero, reprehensurum illud propositum meum, historiam medicinæ paullisper perlustrandi, & si occasio sic feret, publicis specimenibus, pro virium modulo, exhibendi. Faueat modo DEVS huic consilio, ut non solum, quæ nunc prætermittenda sunt, *de habitu athletico*, proxime addam, sed plura deinceps excutere quoque valeam.

F I N I S.

